This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6448
S9

$B 170 700

YC163926

Digitized by Google

THE LIBRARY
OF
THE UNIVERSITY
OF CALIFORNIA

IN MEMORY OF

PROFESSOR WILLIAM MERRILL
AND
MRS. IMOGENE MERRILL

GAYLAMOUNT
PAMPHLET BINDER
Manufactured by
GAYLORD BROS. Inc.
Syracuse, N. Y.
Stockton, Calif.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

access
BINDING
PREP. DIV.
(MENDING)
8443

De temporibus vitae carminumque D. Junii Juvenalis rite constituendis

scripsit

C. Synnerberg.

(Commentatio academica.)

Helsingforsiae,
ex officina Frenckelliana 1866.

Digitized by Google

GIFT
Merrill Platt

Digitized by Google

PA6448
S9

Quantopere nobilissima illa quaestio, quae in temporibus vitae D. Junii Juvenalis rite constituendis versatur, ingenia doctissimorum virorum exercuerit quotque varias atque inter se valde discrepantes excitaverit sententias, omnibus notum est. Ac negare non possumus eam ita per se esse comparatam, ut ad inquirendum ultro invitet et quasi vi nescio qua corruptrice ad veritatem per contrarios opinandi conatus eruendam alliciat. Si quis igitur aditu sententiis inter se repugnantibus patente nihil verisimile, ne dicam certi, ex quaestione, quam nunc ab integro retractare institui, assequendum esse contenderit, praesertim quum post tam acrem et diligentem, quam in eam viri summae doctrinae atque auctoritatis impenderint curam, prorsus nulla adhuc orta sit consensio, habeo tamen quod respondeam. Quamuis enim in re argumentis certissimis paene omnino destituta vix fieri possit, ut nudam simplicemque veritatis rationem deprehendamus, non est tamen de omni veritatis, nedum probabilitatis specie desperandum. At si in hac investigatione pro una plures, ut revera factum est, probabilitatis species emergere pergant, ut alii aliam sententiam aequo jure amplecti videantur, tunc certe concedere debeamus frustra esse operam amplius impendere. Sed mihi omnes itinerum ambages, quas vaga et fluxa satis diu haec quaestio peragravit, circumspicienti jamdudum persuasi, eis rationibus et argumentis, quorum opem in prosperum eventum evocare liceat, diligenter consideratis, non modo unam argumentationis viam recte esse ingrediendam, sed etiam unam sententiarum omnium summam obtineri posse, quae sola fide digna habeatur et quasi veritatis

MC82774 Digitized by Google

nuntia comprobetur. Ac vix est, quod moneam, quorsus haec verba praecipue spectent. Nam qui has res vel leviter attigerit, cognitum habere debet, communem esse omnium de temporibus, quibus omnino vixerit Juvenalis, consensionem, de principe, a quo in exilium, quod ipsum uno ore confirmant, alia vero ad aliud tempus referunt testimonia vetera, missus sit, nullam. Itaque praecipuam disquisitionis nostrae partem in hac ipsa re constituenda versari oportet. Quae quidem res, licet primo saltem aspectu levis videatur et parvi momenti, quantam lucem tamen non minus ceteris vitae rationibus Juvenalis, quam scriptis ejus commode et probe constituta afferat, et omnibus, qui ei operam dederint, pernotum est et hac commentatione qualicunque modo absoluta per se elucebit.

Si vero quid fuerit causae requiritur, cur, ut dixi, tanta in hac re invaluerit opinionum dissensio, alii haud dubie alia respondere conabuntur. Nec pauci erunt, quibus tota hujus dissensionis causa et origo in ipsa quaestionis natura ac ratione praecipueque testimoniorum, in quibus innitatur, inconstantia obscuritateque posita esse videatur. Quod magna ex parte sic se habere equidem negare nolo. Sed, etiamsi forsitan futurum sit, ut de fama auctoritateque virorum doctissimorum detrahere insimuler, facere tamen non possum, quin contendam plurimos, qui nostris temporibus in hac disquisitione uberius versantes multis in rebus novum gratumque ei lumen adhibuerunt, nihilominus opinione quadam praejudicata ductos sententias suas de capite illo quaestionis non ex re, sed ex ingenio arripuisse arreptasque pronuntiasse. Jam Cl. Salmasius et H. Dodwellus, qui inter priores hujus rei gravissimi habendi sunt auctores, unam solam vitae narrationem secuti, quam plures habent codices et pleraeque vetustiores editiones quaeque falso a nonnullis Suetonio adscribitur, multa recte et dilucide explanarunt. Quin etiam illi prope omnia recte statuisse dici possunt, quoad quidem id pro fontibus, quibus usi sunt, fieri potuit. Quo plures autem in lucem pro-

Digitized by Google

latae sunt vitae Juvenalis narrationes, eo frequentiores invaserunt opiniones inter se diversae et repugnantes, ut diligentissimus labor, quem usque ad hoc tempus in quaestione nostra haud pauci collocarunt, plus ad eam involvendam et obscurandam quam expediendam enodandamque contulisse judicari possit. Jo. V. Franckius et C. Fr. Hermannus inter recentiores, qui de ea re scripserunt, facile principes exstiterunt, quorum alter infausta illa opinione de falso exilii commento captus nihil fere, quo ipsa dirimatur controversia, attulit, multa vero, quae ad vetera illa testimonia examinanda dijudicandaque plurimum valeant; alter et ipse sine dubio praesumpta opinione ductus hanc judicandi subtilitatem, cujus initia tam prospere posuerat Franckius, omnino negligens ex veteribus illis narratiunculis non tam ea elegit, quae per se probabilia, quam quae majore testium numero commendata viderentur. O. Ribbeckius vero, postquam editioni suae Juvenalianae (Lipsiae 1859), plus audaci novandi studio quam sana arte, ut hodie dicunt, critica insigni, doctam et laboriosam argumentandi rationem accedere et librum "Der echte und der unechte Juvenal" inscriptum superiore anno prodire jussit, uberrima quidem disputandi copia omnem de satirarum Juvenalis indole disquisitionem mire ditavit, unde tamen vix ullum fructum ad tempora vitae ejus constituenda capias. Si nonnulla ad hanc quaestionem pertineant, maximam partem talia sunt, quae eam magis etiam molestam tortuosamque reddant, non multum ei novi luminis adspergant. Ac ne abstinuisse quidem videtur vir doctissimus, quin inter varias de exilio poetae sententias eam ipsam potissimum eligeret, quae optime in id, ad quod apud eum omnia spectant, probandum quadraret, videlicet ut "quinque illas", quas vocat "declamationes" falsas esse et satiras, quas existimat, Juvenalis crebris interpolationibus vitiatas eo facilius comprobare posset (v. p. 67 sq.)

Digitized by Google

Verum ut ad exitum aliquando perveniat res et quid ex tractatione ejus effici possit penitus cernatur, nihil antiquius habendum existimo, quam ut in ea, quae a veteribus grammaticis et scholiastis memoriae prodita sunt, quam studiosissime inquiramus et accurata judicandi diligentia adhibita quae fide donentur oporteat indagemus. Vix enim sperandum est feliciter hanc disceptationem cessuram, si omnes vitae scriptorum fabulas sine ullo discrimine aequa fide dignas habeamus et ex eis nonnulla eligere conemur, quae cum opinione, quam de aliis rationibus nobis antea animo informarimus, optime conveniant. Nec melius fiet, si cum Hermanno faciamus et eandem de aequa omnium vitarum, quales nunc exstant, auctoritate opinionem amplectentes numerum solum sequamur. Valde quoque insidiosa mihi videtur via, quam ingredi conatus est Ribbeckius, qui in edit. Juv. p. XII omnes fere vitae narrationes, quas habemus, in unam connectere ac velut consarcinare animum induxit. Quid? quod ne minimum quidem habet probabilitatis, si quae narratio vitae Juvenalis consummata pleniorque ex antiquitate propagata fuerit, eam sic quasi in frusta, quorum quodque sibi integrae narrationis auctoritatem vindicet, dissiluisse. Satis igitur inopportune accideret, ut nobis de vita Juvenalis quaerentibus tot vitae ejus descriptiones sese quasi duces offerrent, si dubii haerere cogeremur, quid in eis probaremus, quid ut fide indignum rejiceremus. Tunc haud dubie multo melius esset tantum unius vitae auctoritatem sequi, illius dico, quam solam cognitam habuit Salmasius, quippe quae sanum ubique judicium prae ceteris prodat atque nihil fere contineat, quod a verisimilitudine nimis abhorreat. Sed amovenda est haec dubitatio. Tantum enim abesse credo, ut vitae illae, quotquot sunt, veritati officiant, ut occasionem ejus per comparationem indagandae valde exoptatam praebeant. Fac etiam uni prae ceteris fidem non tribuendam esse, eo tamen tota postremo redibit quaestio, ut aliud quidpiam nisi quod ex una illa, de qua

Digitized by Google

diximus, vita hauriri possit, non facile assequamur. Verumtamen equidem contendere nolim necesse esse protinus hanc vitam quasi unam rationum vitae Juvenalis auctorem eligamus, ceteris omnibus omissis, quum id tunc demum fieri posse appareat, si post reliquas et cum hac et inter se diligenter comparatas, quomodo ortae sint, quale antiquissimum eis exstiterit fundamentum, quid postea additum, ut sit dilucide expositum nobis contigerit. Sic efficietur, quos fructus ad quaestionem solvendam ex his testibus ferre liceat. Quod vero hac disquisitionis parte jam confecta minus liquerit, id ex ceteris testimoniis, quibus non omnino destituti sumus quaeque inter ipsa Juvenalis scripta primum obtinent locum, ut, quoad fieri poterit, explanetur opera danda erit. Quae quum ita sint, primum viam, quam ingredi coeperat Franckius, in critica vitarum tractatione sequi contendam; deinde in satiras Juvenalis, quae quaestio praecipue in tempore, quo conscriptae sint, constituendo versabitur, inquiram, ut postremo ad certam quandam vitae Juvenalis imaginem proponendam perveniamus.

I.

Inter vitae narrationes, de quibus locuti sumus, ea primo loco proferenda est, quam Georgius Valla in ed. Venet. (1486) Probo assignatam primus vulgavit. Legitur in cod. antiquissimo Pithoeano in fine recentiore manu ascripta et praeterea in quinque aliis codicibus diversae aetatis. (Cf. O. Jahn. ed. Juv. (Berol. 1851) p. 386). Hujuscemodi est:

I. Junius Juvenalis, libertini locupletis incertum filius an alumnus, ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa quam quod scholae se aut foro praepararet, et dein paucorum versuum satyra non absurde composita in Paridem

Digitized by Google

pantomimum poetamque semenstribus militiolis emitantem genus scripturae industrie excoluit, et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus, mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis:

> Quod non dant proceres dabit histrio: tu Camerinos
> Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
> Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tunc in deliciis aulae [1]), multique fautorum ejus quottidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem quasi tempora figura notasset, ac statim per honorem militiae quamquam octogenarius urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extremam Aegypti partem tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus angore ac taedio periit.

Quamquam jam finita haberi potest quaestio de hujus vitae scriptore, haud supervacaneum tamen videbitur nonnulla, quae ad eam pertineant, breviter exponere. Jamdiu inter viros doctos convenit Suetonium non esse eum, qui eandem conscripserit. Quem scriptorem amplexi sunt, quod equidem sciam, Casaubonus ad Suet. Oth. 3 (ap. Burm. T. II, p. 164), Salmasius in Exercit. Plin. p. 449 (Parisiis 1629), Spaldingius in praef. ad Quint. p. XXXV. Quod falsum esse jam Burmannum ad. Suet. T. II p. 410 non fugit et Franckius in Exam. crit. vitae Juv. (Altonae et Lipsiae 1820) p. 9 sq. ex tota hujus vitae ratione commo-

---

[1]) Hoc loco vocabulum *histrio* excidisse videtur; cf. infra vita II et Rup. T. I p. XIV ann. 16.

Digitized by Google

de probavit, ad brevitatem jejunitatemque recte provocans, quum non modo Suetonius, qui ejusdem esset aetatis, tam pauca et incerta traditurus fuisset, sed ne excerptor quidem, si uberiorem vitam a Suetonio conscriptam in compendium redegisset, talia omisisset, "qualia", ut verbis Franckii utar, "de suo addere potius omissa, quam addita omittere solent posteriores, etiam quum epitomen faciunt, locum et annum natalem, nomina Caesarum, nomen Statii poetae et alterius histrionis, anni, quo mortuus sit Juvenalis, temporumque omnino accuratiorem significationem." Alias rationes addiderunt nuperrimi Suetonii editores A. Reifferscheidius in C. Suetonii Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiis, (Lipsiae 1860) et C. L. Rothius in ed. Suet. praef. (Lipsiae 1862), quorum uterque vidit libros Suetonii, in quibus de viris illustribus ageret, jam antea confectos fuisse, quam diem obiisse putandus sit Juvenalis, quod quidem plurimum ad Suetonii nomen ex hac vita eximendum valet (vid. Reiff. quaest. Suet. p. 404 et Roth. praef. p. LXXVII sq.). Nec multo plus causae est, cur nomen Probi retineamus, quod hujus vitae scriptori a nonnullis vindicatum est. Quominus enim de Berytio illo Valerio Probo, a Suetonio de Gram. c. 24 commemorato, cogitemus, temporum rationes plane prohibent, quippe quem sub Nerone vixisse memoriae proditum sit (ab Hieronymo ad Eusebii Chron. s. a. 809 u. c. 56 p. Chr. vid. C. F. Hermanni disp. in progr. Gotting. 1848, p. 33) atque forsitan usque ad tempora Domitiani vitam produxisse ex Mart. III, 2 colligere liceat (cf. O. Jahn. Prol. in Pers. p. CXXXVII et T. Osann. Beiträge zur Griech. u. Röm. Literaturgesch. T. II p. 168). Atque alium Probum grammaticum vetustiorem cognitum non habemus, ut docet Osannus l. c. p. 169 sq., ostendens Probum, quem nonnulli aliquot Gellii locos (I, 15, 18, IV, 7, al.) minus recte intellectos secuti Hadriani temporibus vixisse putarint, eundem esse atque Berytium illum. Haud raro quidem inter posterioris temporis grammaticos Probi nomen occurrit,

Digitized by Google

sed quam incerta sit tota quaestio de grammaticis, qui hoc nomen prae se ferant, omnes concedunt (cf. impr. Osann. l. c.) Non multum igitur auctoritatis Probi nomen habere videtur, si id omnino retinere volumus. Sin vero requiritur, unde huc manaverit, tota res ad auctoritatem G. Vallae referenda est, qui hanc vitam cum scholiis tamquam Probi primus edidit, sed accuratius non docuit, unde id nomen hausisset. Huc accedit, ut scholia illa a Valla Probo vindicata tantam prodant similitudinem scholiorum, quae habent codices Pithoeanus et Sangallensis, ut fere pro certo affirmari possit ea ex eodem fonte atque haec manasse, quod scite demonstravit O. Jahnius l. c. p. CLIV sq., cujusque rei judicandae occasionem unicuique paravit uberrima critica annotatione, qua scholia vetera editioni suae Juvenalis adjecta instruxit. Sed nullum prorsus Probi nominis vestigium in cod. Pith. et Sang. exstat. Valde igitur verisimile ac paene certum videtur, id quod et Jahnius l. c. p. CLVII et Osannus l. c. p. 279, quamvis quidem hic aliam inter scholia Vallae et codicum Pith. et Sang. rationem intercedere minus recte judicet, existimant, Vallam nomen Probi nescio unde temere arreptum scholiastae, quem in codice suo invenit, sine ulla certa ratione tribuisse, praesertim quum parum in talibus rebus diligentiae ejus tempore adhibere solerent. Sed missa quaestione de vitae scriptore, unde vix aliud assequi liceat, nisi quis eam non conscripserit, ad eandem omnino aestimandam aggrediamur. Hac in re absolvenda primum observari debet eam satis vetustam atque inter omnes antiquissimam esse videri. Nam etiamsi concedamus oportet originem ejus, quum tam pauca et incerta tradat, ad tempora aetati Juvenalis proxima aut intervallo ab ea haud longiore disjuncta minime referri posse, tamen ex sano judicio optimoque ordine, quo inter ceteras vitas eminet atque excellit, omnia fere, quae in his de vita Juvenalis ex antiquitate ad posteriora tempora manaverint, maxime perspicue et dilucide ibidem servata esse jure colligimus. Quid vero narratione illa jam

Digitized by Google

inde antiquitus tradita propagatum fuerit, his omnibus vitis inter se comparatis clarius apparebit. Id solum ut statim pro explorato ponatur ipsa hujus vitae ratio monet, nihil accurato quodam et uberiore narrandi genere de vita Juvenalis expositum in posteriora tempora ex ipsius aetate transiisse. Aliter enim valde difficile est intellectu, cur, si aliquando talis exstiterit narratio, omnia ejusdem vestigia nunc adeo funditus sint deleta, ut plane nusquam indagari possint. Namque ita sane de ipso orationis colore in vita, de qua nunc quaestio incidit, judicandum est, quemadmodum judicat Franckius l. c. p. 9, qui rectissime vidit eam "ab initio statim esse perscriptam, non postea mutilatam et quasi decurtatam." Quod de ceteris vitis eodem fere modo statuendum erit, ubi omnia vestigia, si quae deprehendentur, uberioris orationis postea coartatae atque in breviorem redactae nos ad nullum alium fontem revocabunt, nisi unde haec quoque hausta esse videtur. Qui fons si quaeritur quisnam qualisve fuerit, quidquam certi in tali re responderi non posse vix monendum est. Ac tamen haud ita multum a vero discrepare puto sententiam meam, omnia, quae ad vitae Juvenalis notitiam pertinerent, primo in antiquissimis commentariis ad satiras ejus, imprimis primam et septimam, singulis locis annotata fuisse, unde a posterioribus grammaticis et scholiastis collecta atque in unum conflata paulatim in vitarum, quales nunc habemus, formas abiisse. Sic enim commode intelligi demonstrarique licet, quam ob causam nunc velut umbra quaedam vaga et incerta nobis, de vita Juvenalis quaerentibus, oblata sit, utpote quum ne vetustissimis quidem commentatoribus ulla vitae narratio plene et accurate conscripta, sed haud dubie rumores tantum ore hominum propagati atque hanc ipsam ob rem neque satis expressi nec singula quaeque persequentes praesto fuisse videantur. Quos rumores, postquam ab antiquissimis commentatoribus annotari coepti sunt [1]),

[1]) Scholia vetera, quae hodie exstant, ad tempora Diocletiani et

Digitized by Google

imprimis aptos fuisse, qui posterioribus ansam ad tale continuas vitae narrationes, quae hodie exstant, conscri bendas praeberent, nemo, credo, negabit. Nec quisquan jure miretur, quomodo fieri potuerit, ut scholia vetera, quae nunc habemus, excepto solo exilio, in quo affirmando om nes testes uno ore consentiunt, perpaululum idque prorsus fide indignum de his rebus contineant, quum satis superque inter omnes constet, quam vehementer sint paulatim immutata et mutilata, ut prima eorum facies jam vix agnoscatur. Quod aliis quoque scriptoribus antiquiore tempore enarratis accidisse omnibus notum est. Sed utcunque hae res se habuerunt, non possum pro certo non putare et hanc vitam et ceteras originem suam scholiastis debere, quorum alii narrationes quasdam satis illas quidem vetustas, sed parum plenas et accuratas, qualicunque modo propagatae erant, sequebantur, nonnulli vero iique seriores vitas ab illis scriptas pro ducibus habebant. Nec forsitan praetermitti debeat, quin observetur, vitas, quo juniores ideoque deteriores sunt, eo magis in similitudinem scholiorum inclinari, cujus rei dijudicandae occasio his omnibus vitis propositis infra aptius praebebitur. Satis nunc erit meminisse haud inusitatam esse vitarum cum scholiis conjunctionem, ut et plerique codices Juvenaliani ostendunt (vid. ex. c. D. G. A. Crameri in D. Jun. Juv. sat. commentarii vetusti p. 568 et 569) et satis clare nobis ante oculos ponit vita Persii, cui in codicibus praescriptum est: *de commentario Probi Valerii sublata*, quaeque verbis: "hunc ipsum librum imperfectum reliquit" scholiastam prodit scriptorem. Sed aliam quoque ob rem comparatio vi-

---

Constantini M. (intra annos 284—330) referenda esse docet Heinrich. T. II p. 542. Nescio, num haec res melius certiusque explanari possit; nam tempus et occasio hujus quaestionis ab integro instituendae mihi haec scribenti defuit. Forsitan non sine magno ceterae disquisitionis meae detrimento. Ad aetatem schol. definiendam pertinet imprimis nota, quam habet scholion ad S. III 267: *Et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere* et q. s.

Digitized by Google

tae Persianae quam maxime huc pertinet. Sic enim orationem ejus conformatam esse omnes viderunt, ut luculentissimum praebeat exemplum vitae in brevius contractae ex alia ab homine aequali et peritissimo, qualis fuit ille Valerius Probus, (vid. Jahn. prol. p. CL sq.) plenissime et accurate conscripta. Etenim si merito dubitari potest, num vera habenda sit opinio Jahnii l. c. p. CLI, nonnulla ei inserta esse, quae singulis locis in commentario Val. Probi legerentur, hoc de fine saltem verissime contenditur inde a verbis: "sed mox ut a schola magistrisque divertit", qui locus aperte se ex scholiis paene integrum huc translatum esse prodat. Quum igitur utraque vita et Persii et Juvenalis justissime inter se ita comparari possint, ut et hanc et illam a scholiastis conscriptam esse putemus, tum aliis in rebus valde dissimiles habendae sunt. Altera enim imaginem compendii ubique proponit, altera nihil habet vestigiorum orationis contractae. Equidem non assequor, quibus rationibus ductus C. F. Hermannus (de Juv. sat. sept. temp. in Ind. lect. Gotting. 1843) de hac affirmare potuerit (p. 7) "nos excerpta tantum legere, in quae idem cadat, quod in simili causa videmus Persii vitam profiteri." Nullo modo enim ad hanc rem probandam sufficit lectionis varietas, etiam si tanta haberi possit, ut inde colligere liceat "communem fontem alios aliter compilasse videri." Nam maxima ejus pars ad verba tantum, non ad res spectat, quare nihil est, quod eam tanti faciamus. Praeterea quam negligenter exscribere, temere mutare soliti sint non tantum librarii, sed etiam ipsi scholiastae luculenter ostendit varietas lectionis vitae Persianae ap. Jahn. ed. Pers. p. 233 sq., quae quamvis in altera recensione (Lipsiae 1851) valde imminuta, nihilominus tantum reliqui facit, quantum abunde probet scholiastas non tam diligentes fuisse, quam vult Hermannus; ac multo magis etiam aliud ejusdem vitae exemplum e cod. ms. bibl. Laurent. ap. Jahn. l. c. p. 238 sq. id convincit. Quod autem Pithoeus hanc vitam in fine codicis sui recentiore

Digitized by Google

manu ascriptam invenit[1]), si quid momenti, quod vix credo, tali rei tribuendum sit, quodam modo pro indicio haberi potest, eandem aliunde haustam hujus codicis scholiis, quae quidem in vita Juvenalis enarranda valde sint inepta, multo esse antiquiorem. Sed potissimum ob eam causam hanc vitam inter ceteras antiquissimam esse dixi, quoniam vestigia veteris narrationis satis clara et distincta ibi remansisse videntur, quam rem vel maxime id comprobare puto, quod nullam accuratiorem temporis significationem profert neque mentionem facit imperatoris, sub quo vixerit Paris pantomimus et a quo in exilium ejectus sit poeta. Nam si quid certi de his rebus proditum fuisset, nulla justa excogitari potest causa, quare ipsa illa nomina hic omissa sint, reliquae vero in eis constituendis tanta laborent inconstantia. Itaque perquam probabile videtur non magis de his nominibus, quam de alia certa temporum definitione quidquam planis verbis designatum habuisse veteres commentarios, quos pro fontibus adhibebant vitarum scriptores. Nec minus ordine, ut supra dixi, singularum rerum expositarum prae ceteris eminet haec vita, ut primo saltem aspectu nihil fere reprehensione dignum invenias. Una sola res profecto talis est, ut non possimus ea, si diligentius reputatur, non offendi. Namque parum verisimilitudinis habere narrationem, qua urbe expulsus atque in remotissima orbis parte militibus praefectus esse poeta octogenarius traditur, multi jam dixerunt. Mihi quoque persuasum est verba illa: *quamquam octogenarius* et *verum intra brevissimum tempus* a scriptore pro suis ipsius ratiociniis temere posita esse, quod ex ceterarum vitarum comparatione, ad quam nunc res ipsa nos deducit, satis clare, ni me omnia fallunt, intelligetur.

---

[1]) Verba Pithoei haec sunt: "Juvenalis vita, quae praeponitur, non est, opinor, ejusdem interpretis. Et vero in optimis codicibus ad finem adscripta fuit recentiore manu et in plerisque aliis separatim exstat."

Digitized by Google

Altero loco ponenda est vita, quam e cod. Is. Vossii edidit Henninius (Jahn. ed. Juv. p. 387):

II. Junius Juvenalis, libertini locupletis incertum filius an alumnus, ex Aquinio Volscorum oppido oriundus temporibus Claudii Neronis, ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa quam quod scholae se aut foro praepararet. Deinde ad poetices [1]) se applicavit, et postquam diu tacuit, uberiori vitiorum jam gliscente contagione ab indignatione incepit: "semper ego auditor tantum." Dehinc paucorum versuum satyra non absurde in Paridem Domitiani pantomimum et aulae histrionem semestribus tumentem vibrata poetamque P. Statium composita, hoc genus scripturae industrie excoluit, et tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus, mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque quae prima fecerat inferciret novis scriptis:

Ille et militiae multis largitur honorem. —
Quod non dant proceres, dabit histrio.

Erat tum in deliciis aulae histrio, multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem quasi tempora praesentia figura notasset, ac statim per honorem militiolae quamquam octogenarius urbe summotus missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti

---

[1]) *Poeticen* Henninius et Rupertius emendarunt. Voc. *studium* post *poetices* a librario omissum esse opinatus est scriptor libri, qui "Kritische Bemerkungen über einige Nachrichten aus dem Leben Juvenals (Ratisbonae 1833)" inscribitur; cf. Pintzger. in Neue Jahrb. f. Phil. und Paed. 1835 p. 264.

Digitized by Google

parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus θεὸς αὐτὸς adscribitur divorum choro, revertiturque Juvenalis Romam, qui tandem ad Nervae et Trajani principatum supervivens senio et taedio vitae confectus properantem spiritum cum tussi exspuit.

Valde in hujus vitae origine et ratione declaranda viri docti dissentiunt. Luce tamen clarius mihi videtur eam nihil aliud esse nisi priorem vitam cum additamentis plus minusve ineptis postea inculcatis, quod senserunt et Franckius l. c. p. 17 et 79 et C. F. Hermannus l. c. p. 8. Aliter judicavit Gu. Pintzgerus in Neue Jahrb. f. Phil. und Paed. 1835 p. 263, qui affirmare non dubitavit hanc vitam, unde excerpta sit vita I, principem inter omnes exsistere [1]). Quod quam sit falsum non difficile est ostendere. Sed ad hanc rem assequendam statim proferamus necesse erit tertiam vitam, quae etiam ab Henninio e cod. ms. Is. Vossii, ubi "auctorem praefert Ael. Donatum", edita est (Jahn. ed. Juv. p. 388):

III. Juvenalis iste Aquinatis fuit, id est ex Aquinio [2]) oppido temporibus Neronis Claudii imperatoris. Prima aetate siluit, ad mediam fere aetatem declamavit, unde et quasi diu tacuit.

---

[1]) Verba ejus haec sunt: "Von Vielen wird diese Vita als Hauptquelle angesehen, wovon selbst die erste nur ein Auszug oder vielmehr Fragment sei: von Einigen aber wird sie für eine Interpolation der ersten gehalten. Die erstere Meinung ist unstreitig die richtige, denn die Zusätze haben einen weit bessern Klang, als dass man sie für ein Product eines spätern Interpolators halten könnte — — Auf ihr muss der Kritiker fussen, um über Juvenals Leben zu ermitteln, was jetzt noch möglich ist."

[2]) Imperite scripta sunt *Aquinatis* pro *Aquinas* et *Aquinio* pro *Aquino*.

Digitized by Google

Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tunc temporis apud imperatorem plurimum poterat. Hac de causa venit in suspicionem, quasi istius imperatoris tempora notasset. Sic obtentu militiae pulsus urbe tandem Romam cum veniret et Martialem suum non videret, ita tristitia et angore periit anno aetatis suae altero et octuagesimo.

Alterum hujus vitae exemplum ap. Cramerum l. c. p. 568 e commentario ms. Vindobonensi haud indignum est, quod priori addatur. Post nugas quasdam de nominibus poetae, quas ex suo haud dubie expromsit scholiasta, sic pergit:

III b. Juvenalis iste Aquinates fuit, i. de Aquino oppido temporibus Neronis Claudii imperatoris. Prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem declamavit, unde et quasi diu tacens ab indignatione coepit dicens: "semper ego auditor tantum." Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tum apud imperatorem plurimum valebat. Hac de causa venit in suspicionem, quasi ipsius imperatoris tempora notasset sicqve sub obtentu militiae pulsus est urbe. Ita tristitia et angore periit.

Ex his vitis vel rectius ex posteriore hausta esse censeo additamenta vitae II. Quaenam vero inter has duas facies, quas sic offert vita III, antiquior sit, non est difficile dijudicatu et infra per se dilucebit: nunc id solum teneamus velim manifestum esse eas ad unum eundemque fontem pertinere. Quem fontem diligenter perscrutari res maximi est momenti, ut quid ibi traditum fuerit intelligatur. In hac re consideranda primum observatione dignum videtur nihil in vita ap. Cram. de reditu poetae morteque ejus

Digitized by Google

octoginta duos annos nati inveniri, unde communem fontem harum rerum cognitionem scriptori vitae III non suppeditasse apparet. Sed idem cognitum habuit vitae II interpolator, qui Juvenalem Romam revertisse perspicuis verbis enuntiat, nec tamen, credo, e vita III repetitum. Nam si hujus testimonium de reditu poetae secutus esset, cur, quaeso, ei ridiculum suum commentum de morte Juvenalis, fabula illa de Martiale repudiata, excogitare opus fuit? Contra valde dubium videtur, num alteram illam rem, cujus certissimum indicium habet vita III, Juvenalem anno aetatis suae altero et octogesimo mortuum esse, rescierit. Nihil enim tali homini, quominus hanc quoque rem commemoraret, dubitationis id afferre potuit, quod poetae octogenarii urbe summoti mentionem paullo ante fecerat. Nisi forte quis summum nugatorem semel dumtaxat sano judicio ductum fuisse credere vult, ut hanc aetatis significationem consulto omiserit, quum Juvenalem, quem octogenarium urbe expulsum atque deinde Romam reversum ad Nervae et Trajani principatum supervixisse statuisset, necessario plus duos annos, postquam exul factus esset, vitam produxisse intelligeret. Si vero hoc vel leviter secum reputasset, totam ipsam fabulam de poeta octogenario in exilium misso reprimendam esse vidisset. Quapropter scriptorem vitae II eam formam vitae III, quae legitur ap. Cram., non quam exhibet cod. Voss., in suam rem convertisse puto, praesertim quum verba illius: *ab indignatione coepit dicens: "semper ego auditor tantum"*, ibi quoque eodem fere modo repetantur. Sequitur igitur, ut quae de Juvenale Romam reduce et anno aetatis suae altero et octogesimo mortuo in vita III traduntur, ea aliunde ac cetera vitae narratio hausta sint, quod aliis quoque rebus mox proferendis firmatur. Tota enim harum vitarum, de quibus nunc loquimur, ratio ita mihi comparata esse videtur, ut ad opinionem ultro invitet, singulas quasque res, quae ad vitam poetae pertinerent, aliis aliorum commentariorum locis memoriae proditas fuisse, ut de re-

Digitized by Google

ditu Romam atque aetate, quum diem supremum obiret, et separatim a ceteris vitae rationibus et in diversis libris legeretur. Sic facillime fieri potuit, ut altera res a scriptore vitae II, utraque vero ab eo, qui vitam ap. Cram. conscripsit, omitteretur. Jam vero quis non videt verba: *tandem Romam quum veniret et Martialem suum non videret* posterius inserta esse a quodam, qui hoc modo voc. *ita* interpretari vellet, quod, ut nunc ap. Cram. legitur: *pulsus est urbe. Ita tristitia et angore periit*, non habet, quo commode referatur? Idem fortasse extrema illa verba: *anno aetatis suae altero et octuagesimo* addidit, quae excisa huic vitae eundem fidem reddent, quem habent vita I et vita ap. Cram. Quamvis igitur, quae de reditu Juvenalis in vitis II et III atque de aetate in vita III narrantur, aliunde ac ceterae res se manasse aperte prodant, eadem tamen ita se habere patet, ut tamquam ex arbitrio ficta merito in dubium vocari nequeant. Quod ad aetatem attinet, Franckius scriptorem vitae III in hac re fide dignum habuit (cf. pag. 96 et al. l.), reditum vero opinione sua, Juvenalem numquam omnino exulasse, ductus non potuit facere, quin falso traditum esse contenderet.

Sed in vita III et gemina ejus forma ap. Cram. perquirenda ulterius progrediamur. Nobis enim persuasum est in his duabus vitis ejusdem narrationis, quae in vita I, si a verbis: *quamquam octogenarius* et *intra brevissimum tempus* discesseris, conservata est, vestigia abstrusa illa quidem et obscura, sed gravissima valdeque digna, quae eruantur, deprehendi licere. Nam multa in vita III posterioribus temporibus mutata additaque esse jam ostendit Franckius l. c. p. 15 sq., inter quae primo loco observari debent verba: *temporibus Neronis Claudii imperatoris*, quae apertum glossema esse vidit in margine adscriptum posteaque in orationem alieno loco receptum. Forsitan non sit praetermittendum, quamvis haud multum ad hanc rem probandam valeat, quum verba: *anno aetatis suae altero et octuagesimo* aliunde petita esse demonstrare conati simus, ea

Digitized by Google

ipsa cum prioribus illis parum conspirare. Nullo modo enim Juvenalis, si temporibus Neronis natus fuisset, jam initio imperii Trajani, quum Martialis, quem sub primordia Nervae Roma secessisse constat (vid. interpr. ad Plin. ep. III 21), epigr. XII 18 ex Hispania ad eum Romam misit, ad extremam senectutem pervenisse potuit, ut omittam, id quod jam monuit Dodwellus Ann. Quint. p. 157, Nervam omnes Domitiani exules revocasse (Dio Cass. LXVIII, 1). Nam hunc imperatorem, si de ullo omnino cogitavit, a vitae scriptore auctorem exilii habitum fuisse Martialis mentionem indicare vix monendum est. Atqui hae ipsae res inter se repugnantes quodam modo veritatem sententiae nostrae confirmant, eos, quibus hanc vitam debemus (nam plures fortasse sunt), suo quaeque loco, alia ab aliis separata primo invenisse. Sed omnia nos ad verba: *temporibus Neronis Claudii imperatoris* ex eo loco, ubi nunc leguntur, rejicienda ducunt. Ne dicam, quantopere omni verisimilitudinis specie sic posita per se careant, ne externis quidem indiciis omnino destituti sumus. Nam eundem locum in omnibus vitis non obtinent. Duas enim, quae seriore quidem tempore, ut videntur, conscriptae sunt, sed tamen gravissimae hujus rei testes haberi debent, quippe quae ad eundem fontem ac ceterae aperte redeant, cognitas habeo, in quibus verba illa ad voc. *declamavit* referuntur. In altera ap. Crenium (Animadv. phil. et hist. P. XIII c. 1 p. 12) e cod. Scriverii exhibita sic se habent: *prima aetate tacuit, media declamavit temporibus Claudii Neronis imperatoris primumque in Paridem pantomimum* et q. s., in altera ap. Pintzgerum (l. c. p. 267) e codice bibliothecae Rehdigeranae Vratislaviae exscripta eodem fere modo: *Hic prima aetate tacuit, media vero declamavit temporibus Claudii Neronis. Primum in Paridem pantomimum* et q. s. [1]). Sic omnia inter se multo melius conve-

[1]) Forte mihi, quum haec scriberem, non ad manum fuit volumen opp. Crenii, ubi vita illa legitur. Sed in C. Kempfii Observ. in Juv.

Digitized by Google

niunt nec tam longe a vero, quantum id nunc scire licet, discrepare patet sententiam ejus, quisquis fuit, qui mediam fere Juvenalis aetatem in tempora Neronis incidisse eumque ipsum illis temporibus operam declamationibus dedisse credidit. Nam si verba justo plus non premuntur, nihil prohibet, quin hoc glossema ita interpretemur, ut eum, qui id adscripsit, significare voluisse statuamus, Juvenalem priorem dimidiam aetatis suae partem in declamando egisse atque idcirco aliquo tempore sub Nerone in hoc studium incubuisse. Quod quum ita sit, Franckio non assentior, qui verba illa ad *tunc temporis* referri jubet (p. 16), si maxime etiam concedendum est ea ex falsa Neronis mentione, quam posterioribus temporibus haud raro in vitis facere coeperunt, huc translata esse. Aliquando saltem putemus hos scholiastas, qui saepissime in tot tantosque errores illapsi sint, talia nonnumquam invenisse, quae a veritate haud nimis abhorreant. Sed haec hactenus. Tota res nunc ad id probandum spectabat, verba: *temporibus Neronis Claudii imperatoris* postea addita esse neque inde

---

aliquot locos interpretandos (Berolini 1843) haec invenio inde desumpta p. 66: *nomen Juvenalis proprium illi, fuit enim de Aquino oppido. Prima aetate tacuit, media declamavit* (p. 70:) *temporibus Claudii Neronis imperatoris primumque in Paridem pantomimum imperatoris, qui fautores multos habebat, hos versus edidit: "Quod non dant proceres, dabit histrio", propter quos versus publice ab imperatore damnatus et urbe pulsus est;* (p. 71:) *et quasi sub obtentu militiae devectus esset cum cohorte militum tendentium ad Aegyptum, laudat ultima satira studium militare.* Vita ap. Pintzg. hujuscemodi est: *Huic auctori Juvenalis proprium nomen fuit. Fuit civis Aquinas id est de Aquino oppido. Hic prima aetate tacuit, media vero declamavit temporibus Claudii Neronis. Primum in Paridem pantomimum imperatoris, qui fautores multos habebat, hos versus (edidit?): "Quod non dant proceres cet." Propter quos versus cum non auderet eum imperator publice damnare, pepulit eum Roma q. (quasi?) sub obtentu militiae dignitatis, cum octogenarius esset . . . . . principe unius cohortis destinatii (?) eum ad ultimas partes egipti. Unde cum careret consuetis spectaculis et ludis, quae Romae fiebant, aegritudine et taedio periit.* Aliam vitam et adhuc, quantum scio, ineditam ceteris ex cod. ms. bibl. reg. Dresd. addi posse docet Pinzger. l. c.

Digitized by Google

ab antiquissimo vitarum fonte propagata. Jam pergamus ad reliqua.

Sic in narrando persequitur vita III: *Prima aetate siluit, ad mediam fere aetatem declamavit, unde et quasi diu tacuit.* Quem locum valde tortuosum et obscurum reddunt haec verba: *unde et quasi diu tacuit*, quae talia esse videantur, ut vix intelligi possint. Ac tamen, quid animo scriptoris obversatum fuerit, conjectura assequi haud difficile esse arbitror. Hanc ob causam aut mutandi aut amputandi medela huic loco minime adhibenda est, cui non multo melius fiet, si *inde* primo hic scriptum fuisse, sed ab imperito quodam, qui *unde* pro *ex quo tempore* dici non posse nescierit, mutatum esse, ut sententias arctius inter se connecteret, atque voc. *quasi* eodem modo, quo ap. Suet. Cal. 58: *hora quasi septima* in nonnullis cod., et ap. Cic. Or. 13: *quasi in extrema pagina* et ap. Plaut. Capt. prol. 20: *quia quasi una aetas erat* pro *fere*, *circiter*, usurpatum esse nobis persuaserimus, ut *quasi diu* idem fere esse putetur atque *satis diu.* Minime vero, ut vult Franckius p. 19, recidenda sunt verba: *declamavit unde et quasi diu tacuit* tamquam glossema in margine ad *siluit* appositum, "ne silendi verbum proprie acciperetur." Nam verba: *ad mediam fere (s. ferme) aetatem declamavit* in omnibus fere vitis integra vel leviter mutata, ut prima eorum facies jam ubique agnoscatur (ut in vitis infra annotatis ap. Cren. et Pintzg.), exstant, quam ob causam in eis, utpote in antiquissimo fonte traditis, quidquam mutare aut delere neutiquam fas est. His rebus ita comparatis nihil aliud relinqui videtur, nisi ut haec verba, quemadmodum in vita III leguntur, retineamus atque interpretandi subsidia ex vitarum antea exhibitarum comparatione petamus. Haud obscure enim eandem sententiam ex eis elucere puto, quam sic profert vita I: *et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus*, quamquam oratio violenter contracta, res ipsae velut adumbratae sunt, ut reticuerit scrip-

Digitized by Google

tor, postquam Juvenalem declamandi studium abjecisse indicavit, eum poesis studium amplecti coepisse, nec magis, ut facere consentaneum fuit, brevem illam satiram in Paridem compositam, qua conscripta poeta initia satirarum conscribendarum haud dubie posuit, hoc loco commemoraverit. Ac scriptor vitae II, etsi non intellexit, quorsum haec verba vere tenderent, tamen ea ad initium carmina condendi spectare vidit, qua de causa sic emendare et explanare conatus est: *deinde ad poetices (studium?) se applicavit, et postquam diu tacuit, uberiori vitiorum jam gliscente contagione ab indignatione incepit: "semper ego auditor tantum."* Sed quum ineptum illud additamentum, quod habet vita ap. Cram., a sciolo quodam, qui compertum non habuit primam satiram post plures alias prooemii loco conscriptam esse, inculcatum retineret, rem etiam multo pejorem reddidit. Quid enim ineptius minusve concinne dici potest, quam si quis ad poesin se applicasse, deinde diu tacuisse ac tunc demum carmina scribendi initium fecisse dicitur? Num illud *ad poetices se applicavit* hic aliud significare potest atque "carmina condere coepit", et quaenam notio verbo tacendi hoc loco subjici potest nisi non scribendi? Nec ad verba illa, quae vitam quoque ap. Cram., unde haud dubie huc irrepserunt, posterius addita habere diximus, incusanda fugere licet, tamquam si tota inde manaverit difficultas. Nam si quis ea tolli jusserit, difficultatem non tollet. Etenim quum vitae narrationem sic persequitur scriptor, ut verba vitae I paene verbis referens Juvenalem post paucorum versuum satiram in Paridem compositam "hoc genus scripturae industrie excoluisse et tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere ausum esse" tradat, quis est, qui non sentiat eandem rem, quam paullo ante attigerat, iterum ab eo repeti? Neque enim ullo alio modo sententia quaedam sana et haud inepta e verbo tacendi elici potest, nisi si statuimus eum, qui hoc verbum primus usurpavit, dicere voluisse Juvenalem prius multa scriptitasse quam

Digitized by Google

quidquam edere vel recitare auderet. Sic quoque accipiendum esse apparet illud *quasi diu tacuit*, licet valde incommode dictum esse non possit negari, quum voc. *quasi*, proprio sensu positum, non ad *diu* sed ad *tacuit* vel potius, ut videtur, ad utrumque verbum tamquam unum referatur necesse sit. Deinde sic pergit vita: *Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tunc temporis apud imperatorem plurimum poterat. Hac de causa venit in suspicionem, quasi istius tempora notasset.* Quae collocatio verborum ad errores excitandos aptissima fuit, quum vix aliam interpretationem admittat, nisi imperatorem, quo regnante conscripta sit brevis illa in Paridem satira, eundem Paridi ipsi exilium poetae indulsisse. Sed quum igitur tempora aperte, non oblique perstringerentur, quomodo dici potuit: *quasi* — — *notasset?* Quod si intellexerit quidam, consulto forsitan voc. *figura* omisisse putandus sit. Sed his rebus ita consideratis denuo ad opinionem invitamur, vitam III ad eundem fontem revocandam esse atque vitam I. Totam enim rerum discrepantiam, qua laborat illa, in oratione imperite contracta et mutilata positam esse existimo, quod etiam in eo cernitur, quod mentio satirae in Paridem compositae alieno loco facta est. Quapropter non opus esse duxerim cum Franckio l. c. p. 19 suspicari, nonnulla "de primis Juvenalis versibus in sat. VII postea insertis", ante verba: *Hac de causa* et q. s. deesse. Nam haec ipsa res vel maxime apta fuit, quae scholiastas in errorem induceret, quum eam non satis considerarent vel consideratam non intelligerent, quomodo versus illi sub alio imperatore conscripti alii causam poetae in exilium mittendi praebere potuissent. Itaque vitam III atque alterum ejus exemplum, quod ap. Cram. legitur (III b.), ex eodem antiquissimo fonte, cujus locupletissima et fidissima testis est vita I, se fluxisse satis perspicue prodere mihi est persuasum. Atque unum etiam vestigium integerrimum ibi aperte deprehendere mihi videor, finem dico, qui verbis: *ita tristitia et angore periit* continetur, quae quidem verba

Digitized by Google

omnibus his vitis communia quodam modo fuisse opinor, qua de re mox plura disputabo. Restat nunc, ut nonnulla de vita II adjiciam. Illius enim communis fontis vitarum I et III, de quo diximus, testis haec ipsa haberi potest, quum absurda illa et inconcinna rerum expositio, ut supra declaratum est, ex eisdem rebus bis repetitis optime explicari possit. Ostendit quoque scholiastas parum intellexisse versus in Paridem, postea septimae satirae sub alio quodam imperatore intextos, tunc demum exilii causam exstitisse; nam scriptor sanae rectaeque rerum cognitionis, quam vitae I debuit, plane immemor Juvenalem a Domitiano in exilium ejectum post mortem ejus (is enim est ille *θεὸς αὐτός*, cf. Suet. Dom. 13) Romam revertisse sibi persuasit. Quod si verum esset, ad alium histrionem in gratiam Domitiani posterioribus imperii temporibus acceptum duceremur, quem quidem omnino non cognitum habemus. Ait enim: *erat tunc in deliciis aulae histrio* et q. s. neque aliter: "tempora praesentia figura notata esse" dici possunt, nisi si tunc quoque histrionem vixisse putemus, qui versibus illis semet perstringi crediderit. At ortus est hic error ex vita III, qualis ap. Cram. exstat, quum compilator ille non perspiceret easdem res ibi, quamvis tecte et obscure, atque in vita I exponi. Sed e contrario vix mirandum est eum, qui in vita III, quod aliunde de reditu poetae compererat, postea addidit, non idem vidisse, quippe quem plenioris narrationis formae in vita I exhibitae ignarum fuisse existimare liceat. Nam eum quoque de Domitiano tanquam exilii auctore cogitasse ex mentione Martialis apparet, ad quam opinionem ipsam verborum sententiarumque collocationem allicere diximus, quae omne temporis versus in Paridem conscribendi edendique discrimen tollere videatur.

Venio nunc ad ultima illa verba: *ita tristitia et angore periit*, quae sic in antiquissimo fonte haud dubie scripta erant, ut prioribus, quae in exilio narrando versantur, continuo jungerentur. Sed quum voc. *ita* scholiastis

Digitized by Google

merito anceps videretur, ut aliquid aegre desiderarent, ad quod definite referri posset, suo quisque modo huic incommodo mederi conatus est. Ii praecipue, qui Juvenalem Romam reversum esse norant, necessario fere, narratione exilii et mortis diremta, ad aliquid addendum ferebantur, ne voc. *ita* velut in suspenso esset. Hoc modo sine dubio in vita III orta est fabula illa de Martiale, quam ex epigrammate duodevicesimo libri XII, Romam ex Hispania misso, haustam esse omnes consentiunt. Aliam viam ingressus est scriptor vitae II, quem *angore* voc. *angina* interpretatum esse, ut legitur ap. Plin. h. n. VIII, 27, 41 et Liv. V, 48, rectissime docet Pintzger. l. c. p. 270. Hanc ob causam *angore* omisit et sic scripsit: *senio et taedio vitae confectus properantem spiritum cum tussi exspuit.* Sed ne illi quidem, qui de reditu poetae nihil compertum habebant, in voc. *ita* haerere non potuerunt. Itaque scriptor vitae ap. Pintzger., quum in sat. III 223 haec legisset:

Si potes avelli circensibus et q. s.

atque imprimis in Sat. XI 53:

Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Maestitia est, caruisse anno circensibus uno,

inde ansam additamenti sui arripuit; ait enim post exilium commemoratum: *Unde, cum careret consuetis spectaculis et ludis, quae Romae fiebant, aegritudine et taedio periit.* Eadem ratione ductum fuisse puto scriptorem vitae I, quum verba illa *quamquam octogenarius* et *verum intra brevissimum tempus* insereret. Nam quum verba *ita angore et taedio periit* cum mentione exilii proxime antecedente, quemadmodum non sine ulla veritatis specie fieri potuit, sic conjungeret, ut Juvenalem brevi tempore, postquam in exilium missus esset, e vita decessisse crederet, inde conclusit exilium in extremam ejus aetatem incidisse. Hac opinione captus atque aliunde de poeta "anno aetatis suae altero et octogesimo" mortuo certior factus Juvenalem "quamquam octogenarium" urbe summotum fuisse atque "intra brevissimum tempus" diem supremum obiisse statuit.

Digitized by Google

Ut, quid his vitis ita consideratis assequi liceat, breviter nunc complectar, primum observari debet omnes ad unum eundemque fontem satis vetustum redire videri, deinde hunc fontem duplici quadam specie, altera plena et uberiore, altera valde mutata et contracta, agnosci posse, postremo praeter eas res, quae ibi memoriae proditae fuisse ex vitarum, quas supra protulimus, comparatione intelliguntur, pauca tantum et abrupta de singulis vitae Juvenalis rationibus vere tradita esse. Fidissimam hujus fontis imaginem repraesentare puto vitam I exceptis verbis illis, quae inde rejicienda esse ostendi. Praeterea nihil habet, quod mutare opus sit vel a verisimilitudine omnino abhorreat. Ut melius quid sentiam perspiciatur, forsitan finem vitae exhibere necesse sit, qualem eum restituendum esse censeam; sic legas velim:

— — Venit ergo Juvenalis in suspicionem quasi tempora figura notasset, ac statim per honorem militiae urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte [1]) tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Ita angore ac taedio periit [anno aetatis suae altero et octuagesimo].

Quomodo autem altera illa eaque brevior vetustae narrationis forma a posteriore quodam vitae scriptore ex priore, ut opinor, in breviorem redacta, primo se habuerit, optime prodit vita ap. Cram., quam sic restitutam volo:

Juvenalis iste Aquinates fuit, id est de Aquino oppido. Prima aetate siluit, ad mediam fere (s. ferme) declamavit [temporibus Neronis Claudii imperatoris], unde et quasi diu tacuit. Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tum (s. tunc temporis) apud imperatorem plurimum valebat (s. poterat). Hac de causa venit in suspicionem, quasi

[1]) Sic recte legendum est, ut habet cod. Pith.; nonnulli enim, qui voc. *tendere* h. l. "stationem habere" significare non intelligerent, id in significationem "proficiscendi" acceperunt.

Digitized by Google

istius [1]) imperatoris tempora notasset. Sic obtentu militiae pulsus est urbe. Ita tristitia et angore periit.

Hae res igitur, quae in vita I sic restituta leguntur, ita comparatae mihi videntur, ut nihil sit, quod eis fidem abrogemus. Quae continua vitae descriptio forsitan ad primam satiram tempore satis antiquo annotata fuisse habenda sit. Quae praeterea de singulis vitae Juvenalis rationibus cognita habemus, et inter se et a reliquis separatim memoriae alicubi in commentariis prodita fuisse demonstravi. Huc pertinent illa Juvenalem *post exilium Romam reversum esse* atque *anno aetatis suae altero et octogesimo mortuum.* Si quae alia fide digna invenientur, ea ceteris vitis, quae haud paucae restant, prolatis deprehendere licebit. Tunc quoque intelligetur, verum esse, quod supra diximus, nihil certi de imperatore, qui exilii auctor fuerit, jam inde antiquitus traditum esse, sed omnia, quae in vitis afferuntur, nomina a posterioribus ex ratiocinationibus eorum addita.

II.

Mihi nunc ad reliquas vitas proferendas aggressuro praecipua quaestionis pars in hac ipsa re de exilii auctore probanda versari debere videtur. Nam quidquam novi majoris ponderis, excepto loco exilii, de quo infra disserendum erit, neque hae vitae neque scholia vetera, quae hodie exstant, praebebunt. Atque ut miram illam in nomine imperatoris, a quo in exilium missus sit Juvenalis, constituendo discrepantiam, quae jam per se ipsa talem non movere nequit suspicionem, omittam, omnem imperatoris, quisquis erit, mentionem ita factam esse apparebit, ut nomen ejus posterius ex conjectura esse positum recte sit colligendum. Praeterea accedet, ut pleraeque, quas nunc

---

[1]) Incertum esse videtur, quomodo h. l. scriptum fuerit in cod. Cram. Exhibet enim *ipsi*, quod vel negligenter pro *istius*, ut legitur in V. III, vel per compendium pro *ipsius* scriptum esse videtur.

Digitized by Google

prolaturi sumus, vitae Juvenalis seriore tempore atque ab hominibus parum peritis ac diligentibus se conscriptas esse ostendant.

Huc primum pertinet nomen Neronis, quod quominus sit vitis postea admixtum falsoque deinde ad exilii auctorem detortum minime potest dubitari. Jam de verbis: *temporibus Neronis Claudii imperatoris* supra dictum est, quae etiamsi eo loco, ubi nunc in vita III et vita ap. Cram. (III b.) leguntur, retineamus, vix aliter accipere possimus, nisi quomodo a scriptore vitae II accepta esse ex addito vocabulo *oriundus* patet, ut ad nascendi tempus referantur. Quod quum ita sit, parum caute ex mea sententia egerunt Kempfius l. c. p. 70 et Gu. Teuffelius in Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1845, p. 109 extr., qui Neronem exilii auctorem in his vitis designari contenderint. Nam quamvis verba: *id est de Aquino oppido* manifestum sint interpretamenti genus verborum: *Aquinates fuit*, haudquaquam tamen, si quid judico, sententias ita connectere licet: *J. iste Aquinates fuit temporibus Neronis Claudii imperatoris*, quum eum, qui haec postrema verba primus vitae intexuit, eadem cum prioribus: *id est de Aquino oppido* arctissime conjungi voluisse apertum sit. Credo igitur ea ne sic quidem, quemadmodum hodie in vitis posita inveniuntur, tam late patere, ut ad verba: *tunc temporis* et *istius* declaranda adhiberi possint. Sed glossema ad *declamavit*, ut ante dixi, habenda sunt, qua de causa nihil est, quod aliquam vim eis in hac quaestione tribuamus. Quem exilii auctorem habuerit scriptor vitae ap. Cram. in medio relinquamus necesse est; scriptorem vero vitae III de Domitiano cogitasse videri mentionem Martialis quodam modo probare diximus. Ubi ceteris locis in nomen Neronis incidimus, illuc ex mentione Paridis, quem notissimum Neronis pantomimum haberent, sine dubio irrepsit. Quod satis probat glossema vitae I in cod. Pith.: *poetamque Claudii Neronis ejus semestribus* et in cod. Vaticano 2810 *Neronis* supra versum ad *poetamque ejus* (v. Jahn.

Digitized by Google

ed. p. 386). Nam quum, ut supra ostendimus, grammaticis illis et scholiastis admodum difficile intellectu esset, Juvenalem ob satiram in Paridem sub alio imperatore conscriptam ab alio in exilium ejectum esse, quem rerum ordinem ex vita I constare putamus, in promptu fuit nomen Neronis ad exilium quoque traducere, ut fit in vita, quam e cod. Vat. 2810 descripsit Theod. Mommsenius (v. Jahn. ed. p. 390):

IV. Juvenalis satyricus Aquinates fuit, id est de Aquino oppido. Hic suo tempore videns nimiam luxuriam scribentium proposuit et ipse scribere satyram, in qua nemini pepercit, sed omnium carpsit vicia. Ideo autem hanc materiam scribere voluit, quia Claudii Neronis tempore numerositas omnium viciorum plurimum viguit, maxime luxuries. Unde cum Claudius audiret quod iste sua tempora notasset, fecit eum exulare sub optentu militiae et cum exercitu ad Egiptum proficiscentem eum direxit, ubi angore et taedio periit. Maxime autem ideo damnatus est, quia hos versus in Paridem pantomimum scripsit: "quod non dant proceres et q. s." Hic pantomimus delator erat pessimus et per hoc gratiam optinuerat principis cum factione, et hic accusatus damnatus est.

Hujus vitae initium usque ad verb. *viguit* ap. Cram. p. 569 e cod. Vindob. excerptum legitur. Eadem opinione captus fuit scholiasta, qui ad VII, 1 annotavit: "Neronem palpat" atque: "*in Caesare:* in Nerone" et ad VII, 92: "Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem haec petentibus praestabat. Propter hunc versum missus est in exilio a Claudio Nerone [1])". Alios vero Paridem intelligen-

[1]) Ut omnes res, quae huc pertinent, nonnihil absolvantur, non

Digitized by Google

dum esse ejusdem nominis pantomimum Domitiano primo imperii anno gratissimum non fugit, quod quidem vix latere potuit satira septima paulo diligentius considerata, ubi mentio Paridis ita facta est, ut poetae P. Statii aequalis fuisse planis verbis dicatur. Quam rem scriptorem vitae III in eam sententiam impulisse credo, ut *Domitiani* adderet post *pantomimum* et *P. Statium* post *poetamque*. Sed ne ita quidem rei acutius expendendae par fuit. Optima recte concinneque exponendi facultate sic oblata eodem fere modo abusus est, quo qui Neronem amplectebantur. Quamquam enim omnia, quae praebuit vita I, paene immota in suam rem convertit, tamen non assecutus est, qualis ratio inter satiram in Paridem scribendi edendique tempus intercessisse ibi narretur. Statuit igitur is quoque, de omni justo ordine, quem vitae I debebat, securus, Juvenalem ab eodem imperatore, id est a Domitiano, in exilium missum esse, cujus Paridem pantomimum famosis illis versibus irrisisset. Itaque ipsum nomen Domitiani quin hoc modo cum exilio conjungi coeptum sit non dubito, et in scholiis nunc ita profertur, ut se eadem conjiciendi opportunitate repertum esse significet. Ait enim schol. ad sat. I 1: "Juvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem [1]), aliqui Aquinatem dicunt. Ea tempora Domiciani tyranni, quibus etiam ipse vixit, eo quod

---

praetermittendam putavi conjecturam a Schurzfleischio in Spicileg. annot. in Juv. Sat. (Vinariae 1717) p. 97 et Fabricio in Bibl. Lat. T. II p. 357 (vid. Pintzger. l. c. p. 266) prolatam, a Rupertio et Achaintrio receptam, h. l. *Calvo Nerone*, ut est in Sat. IV 38, legendum esse. Cf. Franckius l. c. p. 16, 17.

[1]) Hujus ridiculi commenti originem sagacissime aperuisse puto Franckium, qui l. c. p. 118 monet *Aquitani* appellationem non longius ab *Aquinatis* recedere, quam ut altera alterius loco vitio poni potuerit. "*Aquitanum*", inquit, "aliquando dictum puto poetam calami vitio, propagatum id postea ab imperitis et inde natum jocularem istum de Gallica Juvenalis origine errorem, explicatum a scholiasta illo ex procera statura, a semet ipso Juvenali temere afficta."

Digitized by Google

in aula ipsius plus striones quam bonae vitae homines pos sent, graviter carpsit. Hos autem libros in exilium mis sus ad civitatem ultimam Aegypti Hoasim ab ipso Domi ciano scripsit. Ideo autem in exilium missus est, qui dixit versum illum: "quod non dant proceres, dabit strio" et ad IV, 38: "Hoc convicium in Fl. Domicianum, Tit fratrem, Vespasiani filium, jactat, qui calvus fuit. Propterea quod Juvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto Hoasa, ubi mortuus est." Arbitrati sunt igitur hi Juvenalem exulem satiras scripsisse; quin etiam alter eum in exilio mortuum esse diserte asseverat. Atque alios idem credidisse non est mirandum, quemadmodum scriptor vitae mox proferendae "in exilio", inquit, "ampliavit satyras et pleraque mutavit, invehiturque in cineres Domitiani"; nam ut rem ita expedirent, ipsa Juvenalis scripta eis imprimis suaserunt, qui nihil de reditu poetae a Domitiano, ut putabant, relegati cognitum habebant. Nihilominus sunt, qui sese non abstinuerint, quin Juvenalem a Domitiano Roma expulsum statim periisse contenderent. Legimus enim apud Lipsium epist. quaest. IV, 20: "Est apud me Divaei liber et in eo Juvenalis vita manuscripta, quae ait Juvenalem ad mediam fere aetatem declamasse et in Paridem pantomimum versus quosdam non absurde composuisse: "quod non dant proceres et q. s." Addit deinde versibus eis publicatis Domitianum pudore et ira de Juvenali amovendo cogitasse. Sed cum palam in virum nihil auderet, sub honoris obtentu militibus praefecisse, qui in Aegyptum ducebantur. Juvenalem causa praefecturae intellecta taedio et angore vitam finisse."

Quae ultima verba novum illud antiquissimi fontis: *ita — — periit*, quod pluribus aliis merito offensionem movisse supra ostendimus, interpretandi conamen nobis ante oculos ponunt. Atque eos, qui Domitianum exilii auctorem statuerunt omnem de versibus illis septimae satirae postea intextis mentionem, si quid de ea re compe-

Digitized by Google

rerant, ex industria reticendo subterfugere coepisse suspicor; nec tamen forsitan omnes. Nam satis quidem pervulgata fuisse videtur haec narratio, ac tamen nonnullos fallere potuit, si qui forte in alteram antiquissimi fontis formam, de qua locuti sumus, contractam illam quidem et mutilatam, sed satis vetustam inciderunt. Postremo Domitianum habet vitae quoddam fragmentum ap. Schurzfleisch. in praef. Spicileg. annot. in Juv. sat. (Vinariae 1717), qui liber quum mihi non ad manum esset, ex C. Kempfii commentationis citatae p. 71 id descripsi. Hujuscemodi ibi est: "Juvenalis sub Domitiano Augusto claruit, a quo est in Aegyptum missus; dicit namque in satira penultima:

Nos miranda quidem, sed nuper consule Junco (Junio)
Gesta super calidae referemus moenia Copti,

per quod comprehendi potest satis idonee, ipsum navigasse in Aegyptum" (cf. C. F. Hermanni de Juv. sat. septimae temp. disp. p. 7 et 9).

Sed nondum de Domitiano res peracta est. Superest adhuc vita a Rupertio e cod. Kulenkampii edita, quae non modo in Domitiano tamquam exilii auctore commemorando, verum etiam in ceteris rebus tantam prae se fert affirmandi fiduciam, ut summam sibi auctoritatem quodam modo vindicare videatur. Ac nescio an ulla exstet vita, quae gravissimae difficultati excitandae magis sit idonea vehementiusque ceterarum testimoniis primo saltem aspectu repugnet. Haecce est (v. Jahn. ed. p. 388):

V. M. Junius Juvenalis, ex municipio Aquinati, ordinis ut fertur libertinorum, Romae literis operam dedit. Declamavit non mediocri fama, ut ipse scribit: "Et nos consilium dedimus Syllae." Extremis Domitiani temporibus missus in exilium expertus est quantum unius histrionis ira valeret. Exulavit in Aegypto sub specie honoris nec inde a novis principibus revocatus est. In

Digitized by Google

exilio ampliavit satyras et pleraque mutavit, invehiturque in cineres Domitiani. Decessit longo senio confectus exul Antonino Pio imperatore.

Si hanc vitam per se consideramus, ad reliquas nihil spectantes, vix est, quod eam fide indignam habeamus. Adeo enim prudenter et perite, ut videtur, omnes vitae Juvenalis rationes proponit, quae, si ab histrione illo "extremis Domitiani temporibus" tam potente, de quo prorsus nihil compertum habemus, discesseris, pro vere traditis haud difficulter duci possint. Quod ad ipsam temporum significationem attinet, nihil credere prohibet hominem, qui longo senio confectus decessisse narretur, sub finem imperii Domitiani in exilium missum usque ad aetatem Antonini Pii vitam produxisse, quum sic spatium quadraginta quinque fere annorum computemus. Sed continetur tota haec quaestio vitarum comparatione nec hanc ipsam ob rem consentaneum erit vim tantam prae ceteris vitis uni soli tribuere, ut ad fidem earum infringendam valere putetur. Quare omnis de hac vita disceptatio ad reliquarum rationem dirigatur necesse est, quod profecto eo aptius fieri posse videtur, quo majore hae inter se conjunctae sunt similitudine, ut omnes ex eodem fonte se fluxisse profiteantur. Summopere igitur cavendum esse censeo, ne quid temere probemus, quod ab hoc fonte nimis recedat, praesertim quum, in quantas ineptias incurrere quotque res ex arbitrio fingere soliti sint posteriorum temporum scholiastae, supra abunde exploratum arbitrer. Propterea facere non possum, quin mihi persuadeam hanc quoque vitam ex eodem fonte ac ceteras haustam esse, sed ab homine quodam parum diligenti e memoria perscriptam. Nam si antiquissimam vitae narrationem ei, a quo conscripta est haec vita, cognitam quidem, sed scribenti non praesto fuisse statueris, talis fere vitae imaginem animo facillime concipies. Alium enim, nisi qui res e memoria exposuerit, in ipso nomine errasse vix credere licet, ut *M. Junius Ju-*

Digitized by Google

venalis scripserit, quum sit *Decimi* nomen fide codicum satis firmatum. Jam vero incertum esse legerat, num Juvenalis libertini locupletis filius an alumnus fuisset, cujus rei memoria quaedam vaga eum ad scribendum impulit: *ordinis ut fertur libertinorum*, tamquam si ingenuus ipse non fuisset quamvis libertino patre natus. Ac quum animo ejus parum definite, quod de declamandi studio Juvenalis cognoverat, obversaretur, ejus rei mentionem testimonio ex prima satira, ubi poeta ipse se declamationibus operam dedisse significat, petito firmare necessarium duxit. Quibus rebus autem commotus sit idem, ut Juvenalem in exilium "extremis Domitiani temporibus" missum esse asseveraret, minus liquet, nec cuiquam, credo, ut talis res penitus exploretur expediaturque, continget. Dicam tamen quid sentiam. Videtur enim iste in vita scribenda ipsas Juvenalis satiras consuluisse, unde haud difficile fuit colligere poetam, qui naturam moresque aetatis Domitiani tam vividis coloribus plurimis locis depinxisset, satis diu illis temporibus Romae vixisse. Eodem modo Juvenalem post mortem Domitiani carmina condidisse intellexit. Quibus rebus consideratis is, qui Domitianum exilii auctorem exstitisse sibi persuasisset, in eam opinionen inductus est, ut exilium in extrema illius tempora incidisse ipsumque poetam et in exilio, sicuti plerosque verba illa antiquissimi fontis: *ita* — — *periit* accepisse diximus, mortuum esse et ibi "satiras ampliasse et pleraque mutasse" crederet. Atque haec ipsa res, quod Juvenalem exulem decessisse statuit, eum vitam II non secutum esse probat, ex qua illud: "extremis D. temporibus missus in exilium" facile hauriri potuit. Sed enim haec quoque verba: "invehiturque in cineres Domitiani" eum satiris Juvenalis ducibus usum esse aperte indicant. Deinde si memoria tenebat se aliquid de media Juvenalis aetate scriptum legisse, fieri potuit, ut hanc aetatem cum exilio conjungeret atque mortem ejus, quem "longo senio confectum decessisse" novisset, usque ad tempora Antonini Pii detruderet, cujus

Digitized by Google

inter primordia mortemque Domitiani quadraginta duo anni interjecti erant. Sic fere haec vita, ut opinor, orta est, quod alii alio modo factum esse sibi persuadebunt. Nec in re tam dubia et quum a me impetrare non possim, ut huic vitae ullam vim prae ceteris tribuam, supervacaneum erit alienas sententias in subsidium vocare, quam in rem tamen una adhibenda est Franckii sententia, qui solus, quod equidem sciam, de hac re uberius disputavit. Qui si assensum omnium nactus erit, equidem non repugnabo. Disputat enim vir acutissimus ex more suo nimis subtiliter, sed fortasse non ultra veritatis fines hoc fere modo: Biographum quendam mentione Frontonis in prima satira v. 12 adductum fuisse ad statuendum Juvenalem eis temporibus, quibus vixit nobilissimus ille vir M. Cornelius Fronto, cons. suff. a. 143, mort. circa a. 170 p. Chr., primam satiram scripsisse atque tunc initium recitandi fecisse, deinde ob septimam satiram urbe expulsum exulemque defunctum, quod in tempora Antonini Pii incidere necesse esse; nostrum vero vitae scriptorem originis hujus famae inscium omnem vitae descriptionem ad eandem conformasse atque ideo "diversa plane ac repugnantia in unam narrationem conglutinasse." Hunc scilicet aliunde cognitam habuisse "famam fide dignissimam declamasse Juvenalem ad mediam ferme aetatem, paucorumque versuum satiram diu ante scripsisse, quam septimae eandem insereret", sed hanc famam "consulto omisisse, quoniam sine causa idonea opinari non liceat, tam vacui capitis fuisse compilatorem nostrum, ut mediam Juvenalis aetatem incidere in Neronis, extremam in Antonini Pii tempora sibi persuaserit." Existimat enim Franckius ex argutissima sua comparandi colligendique ratione eos, qui in exilio satiras ab Juvenale scriptas putarent, talem de satira illa paucorum versuum sententiam amplexos esse, ut eam "primum sub Nerone compositam, deinde in septimam sub Domitiano receptam" crediderint. Quas res hunc vitae scriptorem de industria vel omisisse vel ita, quomodo nunc in vita legantur, mutasse nullam aliam ob causam,

Digitized by Google

"quam quod obitum Juvenalis ad Antonini aetatem detruderet contra ejus sententiam, cui acceptam referret partem vitae priorem" (l. c. p. 76 et 90). Ita disputavit Franckius, cui assentiri equidem non dubitarem, si ulla vestigia ad tam subtilem artificiosamque disputandi rationem in his vitis dijudicandis nos deducerent. Quamquam enim sagacitati Franckii multa debemus, utpote qui primus certe atque usque adhuc fere solus viam, qua vitarum differentias commode non explicare solum, verum etiam aliquo modo tollere liceat, demonstraverit, minus tamen tuta habeatur oportet ratio, quam argumentationis moderatricem esse voluit, ita ut imaginem, quae haud absona ei et vera videbatur, ex vita Probiana, ut antiquissimam illam (V I) vocavit, desumptam sibi proponens, eandem ad somnia scholiastarum declaranda accommodare conatus sit. Quasi tam diligentes fuerint homines illi, ut, qui primi quodvis nomen imperatoris proferrent, commenta sua ad justi quandam ordinis normam cogitatione informatam direxerint, alii Juvenalem sub Domitiano propter versus in Paridem Neronis conscriptos exulasse sibi fingentes, alii exilio in posteriora tempora depresso, irrisionem Paridis Domitiani recte agnoscentes, ac non temere, quod maxime in promptu esse videretur, protinus arripuerint. Nihil enim tutius ex vitarum nunc exstantium ratione concludi posse video. Nec sane multo magis ad persuadendum apta est argumentatio illa, quam si, id quod iterum ac saepius facere instituit Franckius, verba istorum ad incorruptam sermonis Latini integritatem mutari jusseris. Sed missam nunc facio quaestionem de hac vita, quam, quoquo modo orta est, vel maxime ob eam causam non possum non repudiare ac prae ceteris negligere, quod, quum illas communi cuidam fonti aperte debeamus, originem aliunde petitam, nisi ex hoc ipso fonte vel male intellecto vel leviter atque e memoria reputato, huic quoque assignare minime par erit. Neque ex alio fonte, utpote cujus vestigia praeter vitam I nulla clarius exprimat, manasse videtur vita in duplici for-

Digitized by Google

ma nobis oblata, quam postremam nunc prolaturus sum. Alteram paullo uberiorem e cod. Bodleiano descripsit O. Muellerus; exstat etiam in cod. Mediolanensi 112—453 (cf. Ruperti T. I p. CXVIII n. 24); alteram breviorem e cod. Omniboni e monasterio Sancti Salvatoris de Bononia n. 114—40 e edidit Achaintrius (cf. Ruperti l. c. p. CXIX n. 30); (v. Jahn. ed. Juv. p. 388, 89):

VI. Cum ex Aquino municipio Romam se contulisset et ad dignitatem equestris ordinis pervenire sua virtute meruisset, ad mediam fere aetatem declamavit et in Paridem pantomimum, qui in deliciis apud imperatorem habebatur, quaedam carmina fecit, quae deinde inseruit in eam satyram: "et spes et ratio." Sunt autem haec:

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Quae cum ad aures tyranni venissent, sui temporis vitia carpi intellexit. Qua ex re commotus, nulla alia occasione reperta struendae mortis in Juvenalem, sub honoris praetextu fecit eum praefectum [1]) militis contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant, ut ibi interficeretur Juvenalis. Sed tamen paullo post, ut sciret sibi iratum principem, in codicillis suis ad eum in exercitu mittendis inseruit: "et te Philomela promovit." Quo effectum est, ut ipse animo consternatus ex mentis aegritudine diem suum obierit.

VII. Cum ex Aquino municipio Romam se contulisset et venisset sua virtute ad equestris ordi-

---

[1]) *Tribunum* habet cod. Med. teste Franckio p. 26, sed nihil de hoc voc. annotatum reperio in lect. var. ap. Jahn.

Digitized by Google

nis dignitatem, ad mediam ferme aetatem declamavit. In Paridem panthonimimum, qui in deliciis apud Trajanum Imperatorem habebatur, primo carmina edidit, quae postea inseruit in eam satiram: "et spes et ratio." Sunt autem haec:

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Quibus Trajanus intelligens vitia carpi sui temporis, ira percitus praetextu honoris hoc modo poetae mortis instruendae opportunitatem invenit. Fecit eum praefectum militum contra Scotos, qui bellum Romanis moverant, ibi ut Juvenalis interficeretur. Ex quo effectum est, ut poeta animo consternatus ex mentis aegritudine simul obiit.

Has quoque vitas subtilissime dijudicandas emendandasque suscepit Franckius (l. c. p. 22—27), cujus tamen egregia opera in hac re collocata nescio an sit maximam partem deperdita. Ingenii sui acumina eo imprimis intendit, ut demonstraret, utra antiquior habenda esset. Qua in re expedienda vitam VI ex altera dilatatam esse sibi imprimis ob finem vitae VII misere depravatum persuasit, cujus extrema verba sic emendavit: *Ex quo [effectum est, ut] poeta animo consternatus et mentis aegritudine stimulatus obiit.* Quae quum in vita VI sic se habeant: *Quo (Unde* c. med.) *effectum est, ut ipse animo consternatus ex mentis aegritudine diem suum obierit*, "quis est enim", inquit, "qui non videat, illa in haec transire facillime potuisse, haec in illa non item?" Quod quidem jam per se, emendatione Franckii omissa, aptum esse ad suspicionem movendam vitam VI ex Omniboniana illa breviore haustam esse nemo non fatebitur. Sed longe aliter, ut opinor, res se habebit, si a vita VI, qualis in cod. Mediolanensi exstat, sicuti par est, discesseris. Ibi enim legitur eodem fere modo, quo in

Digitized by Google

vita VII, *apud Trajanum imperatorem* et *ad aures Trajani*. Quod exemplum quum solum cognitum haberet Franckius, non potuit non in talem sententiam induci. Sed haec ipsa res, quod vita VI e cod. Bodleiano descripta nullum habet nomen imperatoris, non solum plurimum ad rationem, quae inter has duas vitas intercedat, explanandam valet, sed etiam, ad quod tota haec quaestio tendit, optimam demonstrandi facultatem praebet vitas, de quibus nunc quaerimus, antiquissimo illi fonti, quem omni imperatorum nomine destitutum fuisse probare conati sumus, originem suam acceptam referre. Nam si nomen Trajani, id quod colligere in promptu videtur esse, cum hac narrationis forma jam inde antiquitus conjunctum fuisse statuas, nulla sane idonea causa excogitari potest, quare consulto haud dubie hic sit repudiatum. Quapropter ibidem jure mihi agnoscere videor summa antiquissimi fontis capita, Juvenalem "ad mediam fere aetatem declamasse et deinde in Paridem pantomimum, qui in deliciis apud imperatorem haberetur, quaedam carmina fecisse, quae postea in septimam satiram inserta imperatori nescio cui, qui vitia temporis sui carpi intelligeret, i. e. figura notari sentiret, offensioni fuisse eundemque ei idcirco sub honoris praetextu cohortis curam in extremis imperii partibus demandasse." At de ipso exilii loco gravissima est inter hanc vitam ceterasque supra prolatas dissensio. Quum autem, ut infra ostendam, mentio Scotorum in fundamento satis certo innixa haberi debeat, in eo acquiescamus necesse erit haud solliciti, unde vitae scriptor ejus rei notitiam acceperit vel qua de causa Britanniam Aegypto praetulerit. Fortasse aliquid de hac quoque re in vetustissimis quibusdam commentariis memoriae proditum invenit. Quod vero attinet ad lepidissimam illam narratiunculam: "et te Philomela promovit" nihil prohibere videtur, quin eandem integram relinquamus, fidem auctoritatemque ejus non impugnantes, quum ejusmodi facete dictum, sive per epistolam sive rumoribus pervagatum, in poenam, qua affectus dicitur

Digitized by Google

Juvenalis, optime convenire fatendum sit. Ac tamen praetermissum nolo eam quoque proxime mihi ad similitudinem accedere videri cum interpretamentis illis, quae extrema antiquissimi fontis verba: *ita* — — *periit* iterum ac saepius excitasse constat. Id quidem nihil dubitationis habere puto, quin nomen Trajani postea additum sit atque tunc alieno quoque loco ante *imperatorem* illatum eadem de causa, qua commoti sunt plerique alii ut imperatorem, quem fautorem Paridis pantomimi habuerunt, eundem exilii auctorem exstitisse opinarentur. Nec minus manifestum esse censeo nomen illud ex scholiis quibusdam ad septimam satiram huc manasse, sive Caesarem, quem in principio hujus satirae alloquitur poeta, Trajanum esse intelligere coeperunt, sive ex mentione Marii Prisci in prima satira facta Juvenalem sub hoc imperatore primum initium recitandi fecisse recte collegerunt [1]). Ad quam rem probandam satis aptum est scholion ad sat. VII 93, quod exhibet "codex bibliothecae regiae Britannicae 15 B XVIII, olim Bongarsianus", ap. Hermannum l. c. p. 9: "Hic autem tangit Trajanum et dicit, quod cantoribus ejus praefecturas et tribunatus donet; quod Trajanus sic ultus est, ut ipsi Juvenali daret praeposituram belli Scotici et nunquam dedit ei successorem, qui eum adjuvaret; ubi cotidie incursus Scotorum est; atque ut sciret iratum principem, dans ei codicillos dixit: "ecce et te Philomela promovit."

Nunc forsitan dixerit quispiam hoc scholion ita comparatum esse, ut sententiae nostrae supra propositae de nomine Trajani posterius addito vehementer repugnet atque hoc nomen a mentione exilii Scotici non separandum

---

[1]) Parum liquet quid sibi velint haec verba Hermanni in praef. ed. Juv. p. v: "Immo haud scio an ipse Trajanus primo per errorem in librariorum manus venerit, qui tyranni appellationem, qua unus eorum usus est, a Domitiano ad Trajanum detorquerent", nisi forte credidit nomen *Trajani* e vocabulo *tyranni* ortum mutatumque esse, quod vix cuiquam persuadebit.

Digitized by Google

esse planissime comprobet. Nam quandoquidem in dubium vocari non possit Juvenalem in Britannia militibus praefuisse, non minus verum esse, quod eodem ipso loco de imperatore, a quo relegatus sit, traditum invenias. Audio: nec quidquam mihi opportunius evenire poterit, qui in eo occupatus sim, ut exilium ad Trajanum recte esse referendum demonstrem. Ac si ita statuimus, nobis contendere necesse erit, duas praecipuas narrandi formas ex antiquitate propagatas esse, quae in summis rerum tradendis inter se consentiant, in exilii vero loco et auctore constituendis discrepent: alteram, loco exilii Aegypto reposito, nullum imperatorem exilii auctorem nominare, alteram Juvenalem a Trajano in Britanniam missum esse diserte prodere. Quibus rebus sic inter se compositis quaestionem nostram eundem fere exitum habituram patet. Sed mihi rem, quam hoc modo expedire primo institueram, diligentius consideranti duae imprimis causae tali discernendi rationi obstare videbantur. Altera inde ducta est, quod nullum imperatoris nomen in vita VI e cod. Bodleiano reperitur, quam ob rem tutius esse duxerim concludere nomen quoque Trajani postea additum esse et in his vitis et in scholiis ad sat. VII, quamvis quidem respondere nequeam, quo casu factum sit, ut exilium Scoticum cum hoc solo nomine in tanta ceterarum vitarum discrepantia conjungeretur. Deinde, quod ad ipsam attinet orationem, vestigia quaedam antiquissimi fontis tam manifesta in vita VI deprehendere mihi videor [1]), ut quamlibet aliam originem ei vindicare equidem non audeam. Restat jam, ut breviter sententiam meam de vita VII proferam, quam nihil aliud esse judico, nisi priorem paulum mutatam et contractam, quod non solum nomen Trajani in ea exhibitum, sed etiam totum dicendi genus valde neglectum et

[1]) Id si conceditur, observatione hoc dignum est, quod nulla in hac vita poetae octogenarii mentio fit, unde apte confirmari patet conjecturam meam, hanc aetatis significationem ratiociniis scriptoris vitae I deberi.

Digitized by Google

claudicans indicare puto. Hanc ipsam ob rem non opinari debuit Pintzgerus l. c. p. 265 vitam, de qua agitur, ab ipso Omnibono Leonicensi sive, ut verum ejus nomen fuit, P. Fr. Omolloio vel Molloio, grammatico saec. XVI, mort. a. 1524, conscriptam esse, qui vir, ut videtur, haud leviter eruditus ac sine dubio linguae Latinae peritior fuit, quam hujus vitae scriptor se fuisse clarissime prodit (cf. Ruperti T. I, p. CXIX). Ubi ut mittam portentum *panthonimimum* (verbis Franckii utor), verba *praetextu honoris* alieno loco posita esse rectissime docuit Franckius p. 24. Deinde vix ab alio, nisi qui repetitionem ejusdem verbi (praep. *contra)* vitare imperite studeret, scribi potuit: *qui bellum Romanis moverant*[1]). Ac quid dicam de extremis vitae verbis: *ex quo effectum est, ut poeta animo consternatus ex mentis aegritudine simul obiit*, quae tamen forsitan, praeeunte Franckio, sic restituenda sint, ut primo brevitatis causa ita scriptum fuisse: *ex quo poeta animo consternatus ex mentis aegritudine obiit*, atque postea verba *effectum est ut* et *simul* (pro *statim*) in margine adscripta in ipsam vitam esse translata, ceteris nihil mutatis, conjiciamus.

Postremo, ne quid praetermittatur, afferenda est vitae quaedam narratio in Chronographia Ioannis Malalae (rec. Dindorf. p. 262), quae contracta legitur apud Suidam in voc. Ἰουβενάλιος (ed. Bernhardy. T. I P. 2 p. 1004—5). Nam hi prorsus indigni sunt auctores, quibus fidem ullam largiamur. Sic enim diversa cum diversis commiscuerunt, ut eos vel potius Malalam, nam is primus hujus narrationis fundamenta jecisse putandus est, rumorem quendam vagum, qui ei innotuerat, de Juvenale prop-

---

[1]) Haud raro quidem, ut omnibus notum est, *bellum movere* dicebant veteres pro *bellum incipere* (v. Oudend. ad. Caes. B. G. I 23), sed nescio num aptius dici possit *bellum alicui movere* quam *bellum alicui incipere*. Aliter se res habet, quum de animi affectibus agitur, ut *fletum* (Cic. de Or. I 53), *stomachum* (Cic. Mur. 13), *exspectationem* (Id. ad Att. II 14) *alicui movere*.

Digitized by Google

ter Paridem histrionem in exilium misso ad res plane alienas detorsisse haud difficile sit perspectu. Haec sunt, quae apud Malalam leguntur:

Ὁ δὲ αὐτὸς βασιλεὺς Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν τοῦ Πρασίνου μέρους τῆς Ῥώμης τὸν λεγόμενον Πάριδα. Περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ἀπὸ τῆς συγκλήτου Ῥώμης καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ τοῦ Ῥωμαίου, ὡς χαίρων εἰς τὸ Πράσινον. Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν αὐτὸν Ἰουβενάλιον τὸν ποιητὴν ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην, τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν οἰκεῖν ἔξω τῆς πόλεως. Ὅστις Πάρις ὀρχηστὴς ἐκεῖ ἀπελθὼν ᾤκει ἔξω τῆς αὐτῆς πόλεως, κτίσας ἑαυτῷ οἶκον προάστειον καὶ λουτρόν, ὅπερ ἐστὶν ἕως τῆς νῦν, τὸ λεγόμενον Παράδεισος καὶ ὁ Οἶκος· κἀκεῖ τελευτήσας κεῖται ἐν σορῷ ὄπισθεν τοῦ οἴκου ἐν τοῖς κήποις αὐτοῦ. Quae apud Suidam ita sunt contracta: *Ἰουβενάλιος, ποιητὴς Ῥωμαῖος. Οὗτος ἦν ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων. Ὁ δὲ Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους, τὸν λεγόμενον Πάριν, περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς συγκλήτου καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ. Ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν Ἰουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην, τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτίσας ἔπεμψεν ἐν Ἀντιοχείᾳ· ὃς κτίσας οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως ἐκεῖ τελευτᾷ.*

Nihil quidem est, quod somnia eorum de saltatore prasinae factionis curemus, sed quin histrionem quendam Paridem Antiochiae mortuum cum Domitiani pantomimo ejusdem nominis confuderint, haud dubium esse videtur. Quam ad rem probandam plurimum valent verba Libanii ed. Reisk. III p. 362, 13 (vid. Friedlaender. Darst. aus d. Sittengesch. Roms T. II p. 389): *καὶ μὴν καὶ τὸν παρ' ἡμῖν* (Antiochiae), inquit, *ποτὲ λάμψαντα* [*καὶ*], *τὸν ὁμώνυμον τοῦ παλαιοῦ βουκόλου, παρ' ᾧ περὶ τοῦ κάλλους ἐκρίθησαν αἱ θεαί, σοφιστὴς Τύριος* (*ὃς τῇ γλώσσῃ τὰ τοῦ Ποσειδῶνος ἴσχυε, σείων τε καὶ τινάσσων ἅπαντα*) *τοῦτον οὕτως ἐθρήνησε κείμενον καὶ μεγαλοπρεπὲς ἐνταφιον αὐτῷ τὸν λόγον ἔδωκεν, ὥστ' οὐκ οἶδ' ὅτι ἂν ἐζήτησε μεῖζον, εἰ σοφιστὴν οἰχόμενον ἐτίμα, ὅς γε καὶ τοῦτ' αὐτὸ προσειπεῖν ἠξίωσε τὸν ὀρχηστήν.* Quibus ex verbis apparet saltatorem quendam, cui nomen fuit Paridi,

Digitized by Google

Antiochiae vixisse ibique mortuum funere satis amplo elatum esse, cujus sepulcrum simul cum domo hortisque, si posteriore tempore visebantur, causa perfacile exsistere potuerunt commenti Malalae, utpote qui exilii Juvenalis Aegyptiaci propter versus Paridem histrionem cavillantes nescio unde certior factus, hanc rem cum Paride saltatore in urbe patria quondam celebrato conjungeret (cf. Franckius l. c. p. 39). Nec in Malala magis quam in ceteris miremur, quod ipso Paridis nomine in errorem inductus de Domitiano tamquam exilii auctore cogitavit; causam equidem non video, cur potius in hac re fidem Malalae tribuamus, quam quum Paridem Antiochiae degentem mortuumque commemorat, quem Domitianum Romae a. 83 p. Chr. necari jussisse res notissima est (Dio. Cass. LXVII 3). Si quid igitur utilitatis ex Malalae Suidaeque narrationibus capere volumus, id haud dubie eis finibus circumscribamus oportet, ut ibidem talia aliquot veritatis vestigia latere putemus, qualia in plerisque aliis vitis erui deprehendique possunt. Testantur illae quidem, quantopere aliquando in se animos hominum converterit exilium Juvenalis [1]).

His vitis nunc ita expositis restat ut nonnulla alia, quae in eis memorantur, postremo breviter attingam. Huc praecipue pertinet quaestio de loco exilii, quam valde difficilem et incertam reddit differentia illa satis memorabilis, quae est in vitis supra allatis, inter quas pleraeque Aegyptum, duae Caledoniam habent. Quae loca si inter se nullo modo componi sociarique possent, alterutrum eligere atque ex veritate traditum ducere necesse esset. Sed tam certis rationibus utriusque loci mentio firmata videtur,

---

[1]) Aptissime in hanc rem disputat Bernhardyus in Hist. Litt. Rom. ed. 3 p. 565: "Die Byzantinische Tradition im Artikel bei Suidas kann, wenn man die Romantik der Mittelgriechen in Erzählungen aus der römischen Geschichte bedenkt, nicht ausreichen: sie lässt bloss merken welches Aufsehn die Verbannung des Dichters und ihr Anlass gemacht habe. Man muss gestehn, ein solches Aufsehn passt kaum zu Domitians Regierung, wo weit stärkere Dingen geschahen."

Digitized by Google

ut facere non possim, quin cum Ribbeckio (in praef. ed. Juv.) sentiam, qui Juvenalem in Aegypto quidem exulasse, in Britannia vero militia aliquando functum esse statuit. Atque eum talem opinionem amplecti id non prohibuit, quod quintam decimam satiram spuriam judicavit. Inde enim omnes, quotquot exilium Aegyptiacum impugnarunt, mentionem ejus petitam esse sibi persuaserunt, quum poeta ipse v. 45 se Aegyptum visisse significet. Quibus equidem sine ulla dubitatione assentirer, nisi jam in antiquissimo fonte, cujus fidissimam, ut ante dixi, imaginem exprimit vita I, Aegyptum commemoratam fuisse vel ideo valde probabile mihi videretur, quod prorsus nulla hujus nominis quasi posterius additi vestigia usquam deprehendi possunt. Ac quin ipsum exilium inde ab antiquissimis temporibus traditum fuerit, id quidem in dubium venire nequit, cujus, ut rei omnibus notissimae, Sidonius Apollinaris meminerit, IX 266 sq. haec dicens:

> Nec qui consimili deinde casu,
> Ad vulgi tenuem strepentis auram,
> Irati fuit histrionis exul,

quae verba ad Juvenalem referenda esse hodie omnes, quantum scio, consentiunt. Nihilominus fidem hujus famae satis antiquae et constantis primus elevare conatus est Franckius [1]), quem si sequeremur, vix in ulla re his vitis confidere liceret. Nec desunt, qui eas ex quibusdam singulos satirarum Juvenalis locos interpretandi conaminibus ortas et conflatas esse crediderint [2]). At praestat haud dubie talem dijudicandi rationem quaerere, ut omnia, quae neque ex se parum verisimilia neque ex ceterarum comparatione postea

---

[1]) In disputatione sua jam saepius laudata, quae "Examen criticum vitae Juvenalis" inscribitur, cui defensionem quandam paravit "Quaestione altera de vita Juvenalis" edita (Dorpati 1827).

[2]) Sunt Duentzerus in Neue Jahrb. T. Suppl. VI p. 374—79 et Kempfius in libello jam commemorato, qui Observ. in Juv. aliquot loc. interpr. inscribitur.

Digitized by Google

addita atque ex arbitrio ficta esse intelligantur, temere non improbemus. Operam igitur et studium non ad suspiciones sine causa idonea movendas, sed ad eas res, quae a vero discrepare non videantur, probandas conferamus oportet. Atque illi quidem, qui totum exilium denegarunt, tam incertam argumentandi viam inierunt, ut sententiam eorum verbo attingere sufficiat. Talibus enim usi sunt argumentis, ut fabulam, quam putabant, exilii Aegyptiaci e quintae decimae satirae v. 45 ortam esse pro explorato ponentes, vel hujus satirae v. 44—48 *(Horrida sane — — titubantibus)* tamquam subdititios, ut voluit Franckius, rejecerint, vel totam satiram, id quod primus demonstrandum irrito conatu suscepit Kempfius, Juvenale prorsus indignam atque ab eo non conscriptam esse contenderint. Novas rationes nuperrime addidit Ribbeckius, qui in libro supra memorato "Der echte und der unechte Juvenal" non modo XV satiram, sed etiam X, XII, XIII, XIV, quae semper Juvenalianae habitae sunt et, credo, habebuntur, improbavit. Tempus nunc est, quum multi rationibus valde temerariis in veteres scriptores invadere non dubitent, quasi hi soli tales fuerint, qui aliquando legibus naturae humanae obnoxii errare vel certe minus apte concinneque scribere nequiverint [1]). Ac quintam decimam satiram equi-

---

[1]) Memini forte C. Fr. Hermannum, virum de his humanitatis studiis meritissimum, Ind. Schol. Gott. (1847) haec verba praemisisse, ad aliam quidem rem, ad codices recte existimandos spectantia, sed tamen aptissima, quae huc transferantur: "Diu est", inquit, "quum criticorum oribus ad codices manuscriptos translatum celebratur Plinianum illud: ponderari oportere suffragia, non numerari (ep. II 12); quae tamen sententia ut per se verissima est, ita nisi sano rectoque judicio adhibita etiam majus detrimentum veteribus scriptoribus et potest afferre et saepe jam attulit. Nam qui numerant codices, quorum testimoniis uti volunt, in majore numero sequendo hoc certe lucrantur, ut quam praeferant lectionem non recentissimi cujusque librarii errore ortam, sed ex antiquo fonte acceptam multorumque communi religione servatam esse sciant; qui autem solo pondere agunt, facile eo delabuntur, ut scriptoris ingenium suo modulo metiantur externaeque fidei parum curiosi, quod sibi

Digitized by Google

dem non nego et argumento illo miro et singulari, quo ibi tractandum sibi proposuit poeta, atque hujus argument tractatione et ipso dicendi genere ceteris adeo inferioren esse, ut aetatem paene decrepitam redoleat poetaque ib se quodam modo denuo puerum factum esse ostendat quippe ad ejus temporis studia reversum, quum olim Sulla consilium altum dormiendi dedit. Neque id negant ii, qu eam defenderunt (vid. C. Fr. Hermannus in Zeitschr. für Alterthumswissensch. 1844 p. 61 sq.[1]). Ac tamen nulla causa est, cur hanc satiram, siquidem externis argumentis jam omnino destituti sumus (nihil enim ponderis habet quod in nonnullis codicibus post XVI posita invenitur, v. Kempf. l. c. p. 61), Juvenali abjudicemus. Equidem tantum ab ista sententia absum, ut non modo non arbitrer quidquam e quinta decima satira ad fidem exilii Aegyptiaci elevandam recte sumi posse, sed hoc ipsum exilium, quod impugnant, vel maxime inde confirmari putem. Nam quod Aegyptus, ut ad vitarum testimonia nunc redeamus, in

---

maxime placuerit, illum quoque scripsisse censeant." Quantopere mos scripta veterum poetarum ex ingenio resecandi amputandique post Hoffman-Perlkampium, cujus egregii quidem viri obitum superiore anno lugebant philologi, invalescere coeperit, satis superque, ut alia reticeam, ostendit liber O. Gruppei "Minos" inscriptus (Lips. 1859), lectu sane jucundissimus, sed, si quid judico, paene frugis expers. Quam studiorum rationem ille quidem aetati nostrae praecipue propositam esse censet (v. praef. init.). Nonne igitur aliquando veniet tempus, quum homines tunc viventes non modo nostrum Virgilium, Horatium, Juvenalem non agnoscant, sed ne membra quidem eorum misere disjecta habeant?

[1]) Orellius atque is quidem gravissimus judex de hac re ita disputat in Ecl. poet. lat. (Turici 1833) p. 252: "Facile enim largior viro sagacissimo (Franckio) Juvenalem neque in Aegypto exulasse, nec, quod per se intelligitur, interfuisse immani huic pugnae, sed nihilominus genuinos reputo versus in suspicionem adductos. Quidni enim per vitam fere octogenariam semel invisere potuerit Aegyptum eoque in itinere Canopum Graecanicis deliciis affluentem, non cum ipsis quidem Ombis Tentyrisque, sed cum aliis locis barbaris Canopo propioribus comparare?" Et p. 253: "Nominatim in hac (XV satira), cujus argumentum egregium est, quod ad dicendi genus pertinet multa reprehendi possunt."

Digitized by Google

vita I, ubi nullum imperatoris nomen reperimus, quod tamen multo magis in promptu fingere vitisque inserere fuisse et ex se et ex consuetudine serioris temporis scholiastarum intelligitur, planis perspicuisque verbis nominatur, ea est profecto res observatione dignissima. Contra si nihil de loco exilii proditum fuisset, quomodo, quaeso, id scire tanti esse potuit momenti, ut qui, a quo imperatore in exilium missus esset Juvenalis, in medio relinquere solerent, iidem tam levi et incerta causa ad Aegyptum expromendam adducerentur? Diligentiores vero, quam ut quid temere atque ex arbitrio fingere auderent, fuisse puto vetustissimos Juvenalis interpretes, utpote quos nihil ex suo addere solitos vestigia antiquissimae narrationis supra eruta et illustrata evidenter declarent. Ne posteriores quidem scholiastas huic rei tantam vim tribuisse videmus ex narratione illa breviore et contracta, cujus imaginem in vita III et vit. ap. Cram. expressam supra p. 25 repraesentare conati sumus, ubi quidem mentio Aegypti haud dubie consulto omissa sit. Jam vero quis est, qui non videat nihil in verbis quintae decimae satirae v. 45: *quantum ipse notavi* inesse, quod ab hominibus, qui accuratiori cuidam narrandi generi studerent, ad locum exilii definiendum traduci potuerit; quamquam facile fieri potuisse non nego, ut rumor permanens de Aegypto eis quasi adjuvantibus semper, dum omnis de imperatore, qui exilii auctor fuerat, cognitio paulatim evanuit, revivisceret et recrearetur, donec aliquis eum litteris mandandum suscepit. Praeterea, si exilium Aegyptiacum quinta decima satira haud improbata rejecerimus, necesse erit statuere Juvenalem aliquando "animi nempe causa *καὶ τῆς ἱστορίας χάριν*" (verba sunt Salmasii in Exerc. Plin. p. 452) Aegyptum adiisse, ut statuerunt praeter Orellium, cujus verba supra annotavi, C. Fr. Hermannus, exilium Scoticum amplectens, et Salmasius, qui poetam octogenarium urbe summotum atque intra brevissimum tempus mortuum esse scriptori vitae I credidit. Sed tunc profecto multo magis mirum videbitur, cur Juvenalis hanc

Digitized by Google

peregrinationem omnino imprimisque in quinta decima satira reticuerit, ut rectissime monet Hertzbergius in Philol. T. II p. 579, quam quod nusquam exilii mentionem movit, cujus reticendi satis multae ei adesse potuerunt causae. Sic Aegyptum [1]) defendere conanti mihi in animo non est abjicere Scoticam Juvenalis militiam, cujus fabellae scilicet fontem Franckius (p. 45) sibi aperuisse visus est in ejusdem XV satirae versu 112:

De conducendo loquitur jam rhetore Thule.

Duentzerus vero, paulo majorem fortasse veritatis speciem lucratus, in sat. II v. 159—161:

Arma quidem ultra
Litora Jubernae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos.

Sed nihil est, quod ad has conjecturas respiciamus, quum prospera quaedam fortuna nobis fidem monumenti historici, ut judico, certissimam paraverit titulo Aquini, in patrio oppido Juvenalis, reperto, qui apud Mommsenium inter Inscrip. Regn. Neapol. in num. 4312 sic suppletus restitutusque legitur:

cereRI. SACRVM
d. iuNIVS. IVVENALIS
tRIb. [2]) COH. I. [3]) DELMATARVM
II. VIR. QVINQ. FLAMEN
DIVI. VESPASIANI
VOVIT DEDICAVitqVE
SVA PEC

---

[1]) Mitto quaestionem satis lubricam et incertam de "extrema Aegypti parte", quam intelligi voluerunt Malalas et Suidas Pentapolin, Schol. ad I 1 et IV 38 Oasin, Salmasius Syenen. Cf. Franckius l. c. p. 47 sq., qui, Pentapolin cum provincia Cretensi conjunctam fuisse, neminem autem in Oasin ante sedem imperii Byzantium translatam aut relegatum aut deportatum ostendens, Syenen solam cum Salm. recte intelligi posse contendit (v. Mart. I 86).

[2]) "TRIB. videtur esse suppletum ad litterarum vestigia, quum quod antea legit Cayro AGRI item contineat elementa RI. Quae retinui neque in PRAEF. mutavi." Ann. Momm.

[3]) "Post COH. numerus omitti non potuit, quum coh. V Dalmatarum jam in honesta q. d. missione Vespasiani (Card. dipl. n. VI) nomi-

Digitized by Google

Quem lapidem ab ipso poeta nostro dedicatum esse nomen et locus, ubi repertus est, atque ipsa militaris muneris memoria luculenter probant. Itaque quum testimonio diplomatum, vel quas tabulas honestae missionis vocant (vid. Marquardt. Handb. d. Röm. Alterth. T. III P. 2 p. 431), satis certe cognitum habeamus primam cohortem Delmatarum in Britannia annis 106 et 124 tetendisse (cf. Huebner in Rhein. Mus. T. XI (1857) p. 30), cujus et praefecti et tribuni saepius commemorantur (vid. Marq. l. c. p. 376), quo in munere, utrum fuerit, significando non integer remansisse videtur titulus ille, quid est, quod in eo, ut in gravissimo vitae Juvenalis teste, non acquiescamus? Ipsum autem militare munus Juvenalis mirum in modum auctoritate satirae tertiae versuum 318—322 firmatur, ubi Umbricium haec loquentem facit poeta:

Ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
Converte a Cumis: satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Cujus loci duo postremi versus novam gratissimamque lucem ex speciosissima O. Ribbeckii interpretatione (in praef. ed. Juv. p. X) acceperunt, qua assecutus est, ut, id quod nemini ante eum suspicari in mentem venit, "adjutorem caligatum" ex rerum militarium similitudine dictum esse rectissime explanaverit. Nam "adjutorem tribuni", quem habet Inscr. ap. Orell. 3462, eodem militari munere inferioris ordinis functum esse, quo qui vulgo codicillarius tribuni vocatus sit, docet Marquardtius l. c. p. 420. Caligata vero, ut notissimum est, hominum tenuioris sortis vel gregariorum militia vocabatur, quae vulgo intra centuriatum desiit, nonnumquam ad praefecturam alae provecta est. Aptissime igitur hoc vocabulum "adjutori" apponitur,

---

netur, potuitque facile omitti in monstro illo COMTELNATATVM. Cohors prima Dalmatarum quum saepissime nominetur et facillime exciderit I, sic ausus sum supplere." Ann. Momm.

Digitized by Google

quippe qui inter eos milites gregarios eligeretur, qui ex inferioribus ordinibus in locum centurionis pervenire possent (vid. Marquardt l. c. p. 417 sq.). Quod igitur poeta Umbricium se "satirarum adjutorem caligatum" appellantem induxit, eo spectasse apparet, ut ipse satirarum scriptor tribunus militum esse designaretur. Nec ulla satis apta, vix sana quaedam significatio ut ex his verbis eliciatur, nobis continget, nisi interpretationem supra propositam amplexi erimus, quando nusquam, ni fallor, caligatus pro bene armato vel parato, ut volunt, ponitur. Itaque nihil dubito, quin aliquid in hoc loco inesse cum Ribbeckio recte sentiam, quod ad militare scriptoris munus significandum pertineat. Sed quum tertia satira, quod infra idoneis, ut spero, argumentis demonstraturus sum, ante exilium scripta sit, inde efficitur, ut imperator, quicunque fuit, a quo relegatus est Juvenalis, tum primum ei dignitatem illam militarem non impertiverit. Quod optime mihi cum vitarum narrationibus congruere videtur. Credo enim Juvenalem, antequam "praefectus militum in extrema Aegypti parte tendentium" factus est, semestri tribunatu, quocum dignitas equestris conjuncta fuit, sicuti Martialem, donatum fuisse. Non cunctans igitur fidem tribuo vitae VI, quae haec habet: *Quum ex Aquino municipio Romam se contulisset et ad dignitatem equestris ordinis pervenire sua virtute meruisset;* deinde hinc commode firmatur, quod de genere Juvenalis in vita I memoriae proditum est. Apparet enim eum, qui hoc modo ad dignitatem ordinis equestris provectus esset, inferiore loco natum fuisse, quam suspicionem valde aptum est quod moveat epigr. 18 libri XII Martialis, ubi Juvenalem ita adfatur:

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Juvenalis, in Subura,
Aut collem dominae teris Dianae;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat vagumque
Major Caelius et minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres

Digitized by Google

Accepit mea rusticumque fecit
Auro Bilbilis et superba ferro.

Inde enim colligere licet Juvenalem fuisse inter amicos illos, quos vocabant, tenues seu modicos, quorum in numero Martialis semet ipsum reponere videtur [1]). Atque ad eandem modicae conditionis significationem verba sat. I v. 100: "nam vexant limen et ipsi nobiscum" apte referri possunt.

Sed hoc tribunatus titulo, quo Juvenalis jam ante exilium ornatus fuit, aliae quoque res optime sane expediuntur. Novam profecto lucem affert verbis vitarum, quae poetam "per honorem militiae", "obtentu militiae", "sub specie honoris", "sub honoris praetextu" urbe summotum omnes affirmant. Nam quis non videt ita longe aptius de homine militari dici posse, quam si quis, nulla militia qualicunque functus, militibus in extremis imperii finibus praefectus esse putetur, ne dicam, quam inauditum futurum fuerit in homine privato, litteris semper dedito, talem exilii speciem quaerere atque ei, re militari omnino alieno, curam cohortis mandare, quum, siquidem rem honesta praescriptione tegere volebant, aliud quidpiam machinari haud dubie nihil negotii esset. Ac ne illud quidem, si imperator poenam in delicti vel potius rerum a Juvenale reprehensarum similitudinem dirigere voluit, quod significant verba: "et te Philomela promovit", idonea causa ejusmodi poenam statuendi exsistere potuisse videtur, nisi in hominem militarem, a quo tales repetere poenas, ut omnes, credo, concedent, vel maxime in promptu fuit. Quibus rebus sic constitutis sequitur, ut melior, quale hujus poenae genus revera fuerit, perspiciendi occasio nobis sit parata. Omnia enim huic opinioni favent, Juvenalem mitissimo illo poenae genere, quod relegationem vocabant, affectum esse idque ad tempus (Dig. XLVIII, 19, 28 § 13,

[1]) Vid. commentationis meae "de clientelae apud Romanos sub Caesaribus ratione" (Helsingforsiae 1865) p. 31 sq.

Digitized by Google

XLIX. 18. 5 § 4. quoniam vitarum scriptores eum Romam redisse testantur. Ac ne aperta quidem relegatio fuit, sed ut omnibus fere vitis credendum est, specie honoris mitigata. Quae si relegatio appellanda est ac non poena, ut nonnunquam dicere solebant Cic. pro Rosc. Am. 15. Tac. H. IV 58, amandatio quaedam, sit sane ita; at honorifica certe relegatio appelletur, quae ab ingenio moribusque vel moderatissimi atque justissimi imperatoris non multum abhorreat. Aptissime igitur locutus est scriptor vitae I. qui poenam "levi atque joculari delicto parem" fuisse ait.

Sed quid postremo dicam de Caledonia vel Scotia, sicuti scholiastae ex temporis sui more locuti sunt, quum nomen Scotorum ante Claudianum non usitatum fuisse constet (Kempf. l. c. p. 71, Hermann. in Zeitschr. f. Alterthumswiss. 1844 p. 73)? Quo tempore enim Juvenalis in Britannia militaverit, me nescire fateor, nec quid ad hanc rem certe definiendam adhiberi possit reperio, nisi Aegyptum plane abjiciamus. Ribbeckio vero, qui nulla vitarum testimonia repudiavit atque "ex disjectis et temere conflatis antiqui de vita commentarii centonibus reconcinnare" imaginem quandam vitae Juvenalis plenam absolutamque conatus est, "priora nimirum stipendia Juvenalis non exul, sed sponte, taedio fortasse servitii urbani commotus extremis Domitiani temporibus meruisse videtur, quum tribunus vel praefectus Cohorti I Delmatarum in Caledonia praefuerit." Hac ratione ductus locum illum vitae V sic supplevit et proxime cum verbis ex vitis VI et II divulsis contexuit: "Extremis Domitiani temporibus . . . . *praefectus cohortis I Delmatarum profectus est* contra Scotos, qui bellum contra Romanos moverant. Verum intra brevissimum tempus *θεὸς αὐτὸς* adscribitur divorum choro revertiturque Juvenalis Romam. Ubi Nervae et Trajani principatum supervivens *totum prope, quod reliquum erat, vitae spatium transegit* et q. s." (vid. praef. p. XI et XII). Quamvis equidem tali argumentatione prorsus nihil effici pu-

Digitized by Google

tem, tamen ipsam sententiam ejus, quae exemplo Taciti, quem eisdem fere temporibus nullis aliis fortasse causis permotum Romam reliquisse notum est, quodam modo commendatur, haud absonam esse arbitror. Sed quidquam certi de hac re contendere nolim, in quam praeterea idem, quod supra de mentione peregrinationis Aegyptiacae sine omni justa causa omissa dixi, cadere apparet. Itaque multo probabilius ex mea sententia conjungenda est Scotica illa Juvenalis militia cum ipsa relegatione, sive, priusquam cohorti I Delmatarum praefectus est, alii cuidam cohorti in Aegypto praefuit, sive illa cohors alio tempore, quod minime praeter consuetudinem factum esse statuo [1]), aliis locis stationem habuit.

Quando rem hactenus perduxi, prius forsitan necesse sit, quid superiore disputatione mea assecutus esse mihi videar, breviter complecti, quam ad ipsa Juvenalis scripta perscrutanda consulendaque aggrediar. Tota enim testimoniis vitarum recognoscendis et dijudicandis continebatur, qua disceptatione nunc qualicunque modo finita si, ut, quid inde ad cognitionem vitae Juvenalis hauriri posset, certe clareque exponerem mihi contigit, haecce fere vitae adumbratio, veterum testimoniis commendata, evadet, quam nunc breviter descripturus nonnulla ex satiris ejus adjiciam, quae ad certam temporis definitionem non pertinent.

Primum vidimus Decimum Junium Juvenalem Aquini, in oppido Volscorum, inferiore loco natum fuisse; incertum, ut scriptor vitae I testatur, num libertini locupletis filius an alumnus fuerit. Locum natalem commode firmat sat. III v. 319:

Roma tuo refici properantem reddet Aquino.

---

[1]) Vid. Marquardt. l. c. p. 375 et ann. 2130, ubi coh. I Thracum pro exemplo affertur, in quam longinquas atque inter se diversissimas terras singulae cohortes auxiliariae interdum transpositae sint. Illa enim cohors sub Vespasiano in Germania, sub Domitiano in Judaea, sub Antonino Pio in Pannonia, sub Severo et Caracalla in Britannia, ex testimonio Notitiae, id est circa an. 400, in Arabia tetendit.

Digitized by Google

Quod autem aliquis[1]) pro indicio tenuioris poetae sortis versum 98 sat. IV nuper accepit:

Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantis!

hanc rem equidem parum certam judico. Satis certe vero ex tota XI satira atque imprimis v. 65:

De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hoedulus,

et fortasse quoque ex sat. VI 56—57:

Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, et agello cedo paterno,

colligere licet eum modicarum quidem facultatum fuisse, tamen non omni re familiari destitutum, qui praedium prope ab oppido Tiburis possedisse videatur. Quum ex patrio oppido Romam venisset ad mediam fere aetatem declamando, id est artis rhetoricae studio operam dedit, ut ipse ait sat. I 15—16:

Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret,

magis tamen animi causa, quam quod scholae se aut foro praepararet. Deinde aliquot versibus in Paridem Domitiani pantomimum compositis ad hoc scribendi genus se contulit, nihil tamen satis diu publicare ausus. Postea quum carmina sua magno successu recitare (atque haud dubie edere quoque) coepisset, versus illos in septimam satiram inseruit, ubi nunc leguntur 90—93:

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Baream, tu nobilium magna atria curas?
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

"Erat tunc in deliciis aulae histrio, multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem quasi tempora figura notasset, ac statim per honorem militiae urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis." Nam quum priore tempore tribunatu semestri donatus ad dignitatem

---

[1]) Vid. Sieboldii vers. germ. sat. Juv. (Lipsiae 1858) praef. p. xv.

Digitized by Google

equestris ordinis pervenire sua virtute meruisset, in promptu erat tale supplicii genus constituere, quod praeterea levi atque joculari delicto par esse videbatur. Militavit etiam incerto tempore in Britannia praefectus cohorti I Delmatarum, quod fortasse ipso illo tempore factum est, quum in exilio versaretur. Postremo in Italiam reversus anno aetatis suae altero et octogesimo e vita decessit.

III.

Clarissima temporis nota in prima satira eminet mentione Marii Prisci v. 47—50 injecta, quem "inani judicio" a. 100 p. Chr. damnatum esse scimus (Plin. ep. II 11 et 12; vid. Gierig. T. I p. xxx). Quo ipso tempore hanc satiram compositam vel potius in eam formam, quae nunc exstat, redactam esse vel inde colligo, quod res illa ut praesens atque tunc omnibus nota commemoratur. Hoc satis declarat usus particulae *quum*, cui indicativo junctae pura temporis notio subjicitur, non causae, ut in ceteris hujus satirae locis, ubi de rebus jam transactis et exempli causa ad tempora universe denotanda adhibitis agitur. Sed haec ipsa exponendi ratio, qua res praesentes et praeteritae sic inter se distinguuntur, quodam modo mihi pro indicio habenda esse videtur, hoc carmen non uno tenore conditum, sed pluribus locis antea inchoatis ac velut adumbratis tunc demum confectum perpolitumque esse, quum Juvenalis se ad satiras aliquot edendas paravit. Dici quidem posse video ipsam harum rerum naturam ita ferre debuisse, etiam si statim ab initio perscripta sit tota haec ecloga. Verumtamen consideres velim ceteras notas res et personas, quarum mentio incidit, omnes ad tempora priora eaque praecipue Domitiani pertinere [1]), nec, quum

[1]) V. 22: *Maevia Tuscum figat aprum* cf. Suet. Dom. 4: — *nec virorum modo pugnas, sed et feminarum;* v. 24 et 25 fortasse ad Cinnamum ap. Mart. VII 64 spectant; de Crispino vid Sat. IV; Matho v. 32 a Martiale pluribus locis commemoratus (IV 79, VI 33, VII 10, 90, VIII 42

Digitized by Google

hoc ita sit, negari potest valde mira in satirarum scriptore exsistere talis animi rerum praeteritarum memoria exardescentis significatio. Fac etiam nos concedere, quod minime concedendum est, Juvenalem legem satiricae poesis omnino propriam, quam sequentes satirarum scriptores in homines aequales praesentiumque temporum res invehi solitos constat, ex industria adeo aspernatum esse, ut "praesens tempus castigaverit imagine praeteriti" (verba sunt O. Jahnii in Prol. ad Pers. p. LXX ann.), nescio quid rude et incompositum in hac satira, quod alii quoque sibi agnovisse visi sunt [1]), pro mea parte non possum non agnoscere. Certam quandam rationem et quasi artem, ad quam singulae partes, inter se parum apte cohaerentes et continuatae, dirigantur, desidero: tam coacervata sunt exempla, quae proponuntur, jam nimis constricta ac velut inter se

---

al. vid. A. L. Döllen. Beiträge zur Kritik u. Erkl. d. Juv. (Kioviae 1846) p. 22 sq.); Baebius Massa et Metius Carus, notissimi Domitiani delatores (Tac. H. IV 50, Agr. 45, Plin. ep. I 5, III 4, al. Mart. XII 25); Latinus, archimimus et delator Domitiani (Suet. Dom. 15, Mart. I 4: *Qua Thymelen spectas et derisorem Latinum* et al.; Schol. ad Juv. IV 33; cf. Grysar. Der röm. Mimus (Viennae 1854) p. 62); v. 39 cf. Mart. IV 5, II 34; v. 69 cf. Mart. VIII 43, IX 15, 78. Mentioni Frontonis v. 12 multum tribuit Franckius p. 86 sq. dicens verba Schol. ad h. l.: *in Oratiana domo, in qua poetae recitabant*, lucem suam accipere ex Front. Ep. ad M. Caes. II 4 (ed. Niebuhr.): *Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus, memorabilis poeta, mihique propter Maecenatem et Maecenatianos hortos meos non alienus.* Hanc ob causam statuit Marcum illum Cornelium, ex computatione ipsius nonagenarium fere circa a. 165 mortuum, a Juvenale commemoratum et primam satiram sexennio post Marii damnationem scriptam esse. Sed haec incerta sunt nec temporum rationes Frontonem illum huc traduci permittere recte vidit A. Maius in comm. praevio ad ed. Front. (Francof. 1816) p. VI. Forsitan h. l. intelligendus sit Fronto Catius a Plinio pluribus locis (II 11, IV 9 VI 13) memoratus. Verum cognitum non habemus, num qua necessitudo inter hos viros intercesserit (Vid. Niebuhr. ed. Front. ad l. c.).

[1]) Gu. E. Weberus in vers. germ. sat. Juv. (Halae 1838) p. 234 et Voelkerus in libri "Juvenal, ein Lebens- und Charakterbild aus der röm. Kaiserzeit" (Elberfeldiae 1851) inscripti p. 30.

Digitized by Google

urgentia, jam justo plus dilatata, ut tota illa narratio de sportula interjecta, cujus singulae res qua ratione altera ex altera nexae sint minime in promptu est declarare [1]); tam incitato cursu jam evolat oratio, tam languide per abruptos atque inopinatos transitus jam serpit, ut, quamvis haec omnia ab ingenio Juvenalis non omnino aliena esse concedantur, eadem adeo nimia atque in majus aucta nusquam mihi deprehendere videar. Cujus rei aptiorem causam non reperio, quam quod haec satira iterum ac saepius mutata, adaucta, perpolita sit atque, ut denique, quod sentiam, profitear, ex pluribus epigrammatis vel quasi articulis in unum corpus colligata et conflata. An nobilissimae exilii causae hoc loco obliviscamur? Nam quid est, quod dubitemus, quin hunc morem versus priore tempore conscriptos in satiras, quas editioni parabat, inserendi bis terque, non semel tantum secutus sit atque etiam totum carmen hoc modo composuerit? Quod autem se in mortuos tantum homines invecturum esse ait (v. 170, 171), id non tam consilium, antequam ad satiras scribendas aggrederetur, captum, quam professio e temporis ratione, quo carmina antea condita edidit, profecta videtur. Nam quum Juvenalis satira magnam partem historica quodam modo esse verissime dicitur (Jahn. l. c.), id quidem praecipue spectare debet neque ad "praesens tempus imagine praeteriti castigatum" neque ad scribendi quandam figuram, ut vult Madvigius, qui in Opusc. acad. alt. p. 185 dicit Juvenalem "quibus ipse recitaverit tempora ab superioribus, ex quibus vitiorum exempla sumat, non diligenter distinguere ac saepe se in haec transferre scribendi figura, quoniam universa foeditas, in uno exemplo eminens, ad omnem illam aetatem pertineat." Sed tota illius vocis vis veritasque in eo maxime cernitur, quod Juvenalis alio tempore se ad satiras scribendas contulit, alio eas publici juris fecit,

---

[1]) Hujus loci rationem explanare conatus sum in commentationis meae supra citatae p. 69 sq.

Digitized by Google

nec idcirco eum ex illo tempore in hoc mentem solum impetu satirico imbutam materiamque mente recoctam et maturam, sed etiam multa scriptione elaborata et perfecta retulisse credere consentaneum est. Ponamus igitur oportet miram illam ad priora tempora quasi ad praesentia respiciendi consuetudinem in hac ipsa temporis satirarum scribendarum edendarumque distantia et diversitate, ut, quae antea conscripserat, ea plus minusve immota post plurium annorum intervallum ab eo edita esse arbitremur. Quod imprimis eis locis conspicuum est, in quibus se ad mores publicos et homines superiore tempore notissimos atque in publico viventes denotandos convertit; contra ad vitae privatae depravationem, qualis a Juvenale haud raro depingatur, illustrandam optime sine dubio valeant verba illa Madvigii. Remansit enim haec eadem vel non multum in melius redacta, quamvis quidem lucem nonnihil refugere atque in tenebris se magis abdere coacta sit, quam superioribus temporibus; sed inde vivas voces duxerat, inde usque animus ejus ingenua ira et indignatione ferebatur; beatissimi vero seculi ortu, quum animum redire et Trajanum felicitatem temporum quotidie augere Tacitus in Agr. 2 testatur, eodem tempore, quo principem a senatu "optimi" cognomine ornatum summis meritisque laudibus in coelum sustulit Plinius, acris illa satirici etiam poetae indignatio nonnihil mitigari laetiorque rerum et morum publicorum imago animum ejus certe intrare debuit, si tunc primum scribere coepisset.

His rebus ita expositis effici putamus, ut, quum ultima scriptoris manus huic satirae accederet, is in satiris conscribendis jamdiu versatus non tantum scribendi materiam sibi paratam, sed etiam unum vel alterum carmen conditum habuerit. Aperte quoque versus 85—86:

> Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est,

ut rectissime docet Franckius l. c. p. 128, tot jam satiras absolutas fuisse declarant, "ut totum effecerint libellum

Digitized by Google

quendam, cujus tamquam praefatio esset satirarum ordine prima." Docere enim ait rem ipsam, libellum hic non esse unum carmen, de quo haec ne possint quidem vere praedicari, sed satirarum volumen jam tum integrum, quamquam postea novis scriptis locupletatum. Deinde ante hanc satiram, qualis hodie exstat, compositam nullum carmen a Juvenale aut recitatum aut editum fuisse verisimile vel paene certum reddunt v. 150—171. Nam quum ad scripta, quae jam absoluta essent, in publicum proferenda se praeparavit, tum profecto primum dicere potuit: "*Experiar*, quid concedatur".

Secunda satira, si quae alia, temporibus Domitiani certissime assignanda est. Quam sententian meam his versibus (29—33) nullo modo refelli puto:

> Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
> Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
> Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
> Quum tot abortivis fecundam Julia vulvam
> Solveret et patruo similes effunderet offas,

quibus tangitur notissima Domitiani cum Julia, Titi imperatoris filia, consuetudo famosaque censura ejus, qua titulo Censoris Perpetui sibi vindicato fungens leges illas amaras in morum corruptelam revocabat, inter quas praecipua fuit lex Julia de adulteriis in quibusque exercendis maxima usus est severitate (cf. Suet. Dom. 7—8, Mart. VI 2, 4, 7, 91 [1]). Quod ipso illo tempore factum esse, quo stupro Juliae foedatus sit, praeter Juvenalem indicat Plinius ep. IV 11 (cf. Dion. Cassii LXVII 3—4). Ac constat Domitianum titulum censoris post triumphum de Chattis actum assumpsisse (vid. Dion. Cass. l. c.), quod in annum p. Chr. 84 incidit (vid. Imhof. l. c. p. 48). Consuetudinem vero cum Julia, quam Tito vivente inchoatam esse testatur Suet. 22, usque ad mortem Juliae permansisse ipsa mortis causa probat. Juliam autem Divam appellat num-

[1]) Vid. A. Imhof, T. Flavius Domitianus, ein Beitrag zur Geschichte der römischen Kaiserzeit (Halae 1857) p. 95.

Digitized by Google

mus Domitiano XV cos. cusus i. e. anno 90, cujus ipsius anni extremis mensibus eam decessisse fidem faciunt Martialis l. VI epigr. 4, 10, 76, haud dubie post triumphum Dacicum (sec. Eusebium an. 90 mens. oct.) scripta, et 13 atque imprimis 3, quae Juliam ut vivam commemorare putanda sunt. Est igitur sextus liber Martialis post triumphum Dacicum et ante mortem Juliae editus [1]). Ex hac temporum ratione efficitur, ut res a Juvenale commemoratae spatio annorum 84—90 comprehendantur. Jam vero apparet nihil in versibus illis inesse, quod prohibeat, quominus eos post annum 90 aliquo temporis spatio interjecto, id est post mortem Domitiani, scriptos esse putemus, quum vocabulum *nuper* in significatione latius patente saepissime ponatur. Sed e contrario nullam causam reperio, quare credere non liceat Juvenalem, vivente etiamtum Domitiano, in satira, nimirum in scriniis retenta, sic scribere potuisse, praesertim quum ceterae res ibi expositae ad hujus imperatoris aetatem manifesto pertineant; nam ex totius satirae argumento alterutrum ad tempus constituendum sumamus necesse est: aut eam sub Domitiano totam esse compositam aut versus 29—33 postea insertos. Versatur enim, ut egregie jam demonstravit Heinrichius in sec. specim. comment. in Juv. sat. (1810) p. 9 sq. (ap. Rup. T. I p. 18 sq.) in vitiis nobilium castigandis, non, ut antea credebant, in philosophis introrsum turpibus, habitu et vultu linguaque gravitatem simulantibus irridendis. Nec sane mirandum est nobiles seu *proceres*, quos adfatur poeta v. 121, eodem illo tempore, quo severam morum praefecturam susceperat princeps, exemplum ejus imitantes acerrimos morum correctores exsistere atque imprimis mulieres, de quibus multa capita habebat lex Julia, accusationibus et judiciis vexare coepisse. Hi igitur, quos inducit

---

[1]) Vid. L. Friedlaenderi dissert. de temp. librorum Mart. Domitiano imperante editorum et Silvarum Statii in progr. Regimont. (1862) p. 9.

Digitized by Google

Juvenalis alios tristi aspectu et cultu habituque asperitatem prae se ferentes (cf. Mart. I 24, VII 58, IX 28), alios mollitiem suam aperte confitentes, cunctos muliebribus ac turpissimis moribus deditos, acerbissime in hac satira castigantur. Atque id quidem praestantissimam carminis materiam satirarum scriptori praebere oportuit, quod, qui vitia mulierum vehementissime exagitarent, ipsi libidinibus furtim exercitis se feminas quodam modo fieri studebant. Qua in re demonstranda omnis hujus carminis vis satirica mihi posita esse videtur. Confirmatur haec sententia pluribus ejus locis, ut ex. c. nominem v. 38—63 et statim post 65—70, ubi mollities illorum muliebris simulatae gravitati contraria sic incusatur:

Quid enim falsi Laronia? sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculos et Pollittas? Est moecha Fabulla:
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam.

Deinde tota descriptio, quae v. 82—142 continetur, in hac ipsa sententia aperte innititur. Jam in principio carminis his verbis:

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt,

oratio ad res illas contrarias atque inter se turpissime repugnantes deflectitur. Quapropter nihil dubius sum, quin haec satira sub Domitiani imperio composita haberi debeat. Etenim eo tempore, quo scripta est, aretalogos illos, de quibus dixi, turbas jam fecisse quis non videt? Postquam vero mortuus erat Domitianus, nobiles exemplo principis sublato sine dubio rem tam acriter persequi desierunt, quare, si interempto jam Domitiano hanc satiram scripsisset Juvenalis, tempora ei non modo ullum animi impetum vividiorem, sed ne res quidem, ad quas orationem conformaret, suppeditare potuerunt. Ad quod tempus ita constitutum optime quadrant v. 159—161:

Digitized by Google

Arma quidem ultra
Litora Jubernae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos,

quos ad expeditiones Agricolae in Britannia ab anno 78—84 factas spectare nemo non videt, quamquam Juvenalis rei actae modum ex poetarum more nonnihil excessit, quum Agricolam consilia, quae de Hibernia occupanda inierat, non perfecisse constet ex Tac. Agr. 24. Orcadas vero insulas ab eo inventas domitasque esse, quod *modo* evenisse ait Juvenalis [1]), Tacitus Agr. 10 testatur. Conscripta est igitur, ut persuasissimum habeo, haecce satira ante mortem Domitiani, et Heinrichio (l. c. et in summ. h. sat.) plane assentior eam esse omnium tempore primam, quod equidem tamen ita acceptum volo, ut prima habeatur, quae imperante Domitiano tota sit composita nec clariora scriptionis iteratae vestigia habeat.

Tertiam quoque satiram ad eadem ipsa tempora recte esse referendam rationibus haud absurdis probari posse credo. Heinrichius in summ. "de tempore", inquit, "quando scriptum sit carmen, nullum umquam vestigium clarius exstat; sed haud dubie urbis faciem reddit eam, quae erat sub Domitiano." Quod duobus imprimis locis paulo diligentius consideratis commode firmari demonstraturus sum. Versibus 153—159:

Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati;

---

[1]) Quod ad significationem voc. *modo* attinet haec verba Handii in Tursell. T. III p. 643 afferre haud supervacaneum erit: "Atque regredimur per temporis spatium vocabulis *nunc*, *modo*, *paullo ante*, *nuper*, *olim*: in quibus *modo* indicat tempus tam proximum, ut pro praesenti haberi possit, tamen non est praesens, nec plane praeteritum, ut ipsum possit praeteritum vocari. Ex praesenti statu respicimus ad antecedens tempus. Ita fit, ut *modo* cum verbis perfecti temporis conjunctum significet proximum antecedens tempus, illis, quae dixi, nominibus *nuper*, *olim* oppositum."

Digitized by Google

Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes juvenesque lanistae:
Sic libitum vano, qui nos distinxit Othoni,

mentio fit legis Rosciae theatralis a Domitiano renovatae, quam rem attingit Suetonius Dom. 8: "Suscepta correctione morum licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit" et Martialis saepe (V 8, 14, 23, 25, 27, 35, 41, VI 9). Sed quid revera sanxerit Domitianus a nullo accuratius exploratum reperio. Heinrichius quidem in comm. p. 147 contendit eum legem Roscii Othonis revocatam ita dilatasse, ut omnibus jus in quattuordecim ordinibus sedendi tribuerit, qui, quamvis equites non essent, censum equestrem possiderent. Quod etiamsi forsitan ab universa veritate non multum discrepet, rem tamen paulo plus definite explanari posse credo. Probabilius enim ex mea sententia Domitianus legem Rosciam omnibus additamentis, quae postea adjecta erant, sublatis revocasse existimandus est. Sanxit enim inter alia haec lex teste Cicerone Phil. II 18, ut decoctores a ceteris separarentur et certus locus eis in theatro constitueretur. Sed post bella civilia numerus decoctorum ita auctus erat, ut Augustus eis, "quibus ipsis parentibusve equester census unquam fuisset", (Suet. Oct. 40), jus in quattuordecim ordinibus sedendi permiserit. Satis quoque notum est jam prioribus sub imperatoribus multos homines infimi generis in hunc ordinem irrepsisse et jura insigniaque ejus sibi assumpsisse. Quae res quomodo priore tempore legibus sit coërcita parum liquet, sed id quidem constare videtur, ingenuis tantum jus dignitatem equestrem in publico tuendi legitime constitutum fuisse (vid. Becker. Handb. d. röm. Alt. II P. 1 p. 284), quamvis tempore imperatorum numquam fere, ut videtur, prae libertinorum multitudine et potentia immotum valuerit (cf. Hor. Epod. 4 v. 15—16, Schol. ad Juv. V 3, Mart. II 29, Plin. h. n. 33 2 8). Domitianum vero ita sanxisse credo, ut omnes, quibus census equester esset quique ipso illo tempore pro equitibus se gererent atque in jure eorum quali-

Digitized by Google

cunque modo versarentur, nulla generis ratione habita, utrum essent ingenui necne, jus in XIV spectandi haberent. Quod autem Juvenalis h. l. et XIV 324 censum equestrem et Martialis V 23 et 25 "quadringenta" illa solum commemorant, non est, cur hanc rem magni faciamus, quum saepe censum pro ipsa dignitate equestri, cujus obtinendae praecipua fuit conditio ("justus eques" ap. Mart. I 103, IV 67), usurpare soleant veteres scriptores (ex. c. Hor. Ep. ad. Pis. 383). Quamquam igitur meam sententiam non multum ab Heinrichii revera differre video, aptius tamen rem ita constitutam quadrare puto et in verba Martialis V 8: "Et puros eques ordines recepit" atque 23: "et Oceanum certior audit eques", et in acrem Juvenalis indignationem, quam quae moveret vix idonea fuit liberalitas illa principis, quam Heinrichius statuit, quippe quae justior quodam modo pro statu rerum priore sic vel nihil fere vel non multum mutato videri debuerit. Sed, utcunque erat, hoc ipsum recens odium, quod spirant verba ejus, pro indicio habendum est edictum illud Domitiani non multo ante promulgatum varia, quum hanc satiram scriberet, hominum studia excitasse. Nec magis praetermittendum est Martialem hanc rem paene in solo quinto libro commemorare [1]), cujus epigr. 8 et 41 "edictum domini deique nostri" nuperrime in lucem prodiisse, quum hic liber editus est, aperte mihi ostendere videntur.

Sed si haec a me nunc ita exposita legentibus probabilia quidem, sed non satis certa videbuntur, alterum habet haec satira locum, ex quo certissimam temporis notam erui posse confido. Hic est (v. 254—59):

---

[1]) Quod enim III 95 sic ait: *Et sedeo qua te suscitat Oceanus*, non necesse esse credo referre haec verba ad legem Rosciam a Domitiano revocatam, quum sic loqui potuisse poetam appareat non ex vere facto, sed solum ad dignitatem suam melius significandam. Editus est liber quintus ex computatione Friedlaenderi in dissertationis supra citatae p. 8 ineunte anno 90.

Digitized by Google

Scinduntur tunicae sartae modo; longa coruscat
Serraco veniente abies atque altera pinum
Plaustra vehunt; nutant alte populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, et everum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus?

Nam ex testimonio tabulae Heracleensis, quae vocatur, interdictum erat, ne quis plaustra per vias urbis "interdiu post solem ortum neve ante horam decimam diei" ducerent, nisi quae materiam aedificia publica exstruendi portarent [1]) et alia nonnulla. Quod edictum per duo priora imperatorum secula valuisse atque, quum de plaustris, quibus onera gravia imposita essent, urbem die ingressis loquantur veteres, nihil prohibere, quominus de aedificiis publicis cogitemus, docet Friedlaender (Darst. aus d. Sittengesch. Roms T. I p. 40). Jam vero Domitianus tam acre et assiduum aedificandi studium per totum fere regnandi tempus persecutus est (Imhof. l. c. p. 83 sq.), ut veterem senectam sumpto praesidis sui vultu novam Romam exutam esse praedicet Martialis V 7. Sed quanta incommoda et pericula haec res secum habuerit testatur Plinius in Paneg. 51: "Idem tam parcus in aedificando quam diligens in tuendo. Itaque non, ut ante, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur. Stant securae domus, nec jam templa nutantia." Quae verba Plinii satis certe affirmant, Juvenalem ad Domitiani tempora studiumque ejus aedificandi spectasse, cujus post mortem pericula, quae ex materia aedificiorum ur-

---

[1]) Vid. Mazochii "Commentariorum in regii Herculanensis Musei aeneas tabulas Heracleenses" Partis II (Neapoli 1755) p. 352: "*Quae viae in urbe Roma sunt, erunt, intra ea loca, ubi (in) continenti habitabitur, ne quis in eis viis post Kalendas Januarias primas plostrum interdiu post solem ortum, neve ante horam decimam diei ducito, agito, nisi quod aedium sacrarum Deorum immortalium causa aedificandarum, operisve publice faciendi causa advehi, portari oportebit, aut quod ex urbe exve eis locis earum rerum, quae publice demolienda loca erunt, publice exportari oportebit et quarum rerum causa plaustra hac lege certis hominibus certis de causis agere, ducere licebit.*

Digitized by Google

bem transvecta manarent, sublata sint. Si autem de privatorum aedificationibus hoc loco ageretur, quid causae fuit, cur Juvenalis illam rem tanti faceret, quum talem aedificandi materiam eo tantum diei tempore in urbem invehi liceret, quo viae minime erant frequentatae? Ut hae igitur transvectiones eis, qui pedibus irent, vix periculosae erant, sic eaedem haud dubie domibus urbis detrimenta afferebant, qua de causa Hadrianus "vehicula cum ingentibus sarcinis urbem ingredi prohibuit (Ael. Spart. vita Hadr. 22)." Quod quum ita fuerit, per se intelligitur, Juvenalem post mortem Domitiani sic scribere non potuisse. Pauca quidem praeterea accedunt, quae ad tempus satirae constituendum vim quandam habeant, sed talia sunt, ut cum rebus supra expositis haud absurde conspirent. Dum Stratoclem et Demetrium comoedos, quos memorat poeta v. 99, jam Domitiani temporibus fama floruisse constat ex Quint. XI 3 178, cujus verba haec sunt: "Maximos actores comoediarum Demetrium et Stratoclea placere diversis virtutibus vidimus", idem satis explorate cognitum non habemus de Isaeo rhetore, cujus mentio fit v. 74:

sermo
Promptus et Isaeo torrentior,

quae verba ad eundem Isaeum sine dubio referenda esse omnes intellexerunt, quem Plinius ep. II 3 magna oratoria laude sub initia Trajani eminuisse scripsit. Quidquid enim notionis voc. *torrentior* subjici potest, apud Plinium apte propositum invenimus. Qui vero illo tempore sexagesimum annum teste Plinio excesserat, eum jam priore tempore famam eloquentiae sibi parare potuisse apparet. Pro explorato igitur habeo tertiam satiram, totam fortasse, at certe maximam partem aetate Domitiani conscriptam esse.

Ultimam quidem scriptoris manum mortuo jam Domitiano quartae satirae accessisse clare ostendunt v. 37—38:

Quum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus et calvo serviret Roma Neroni,

Digitized by Google

et v. 150—154:

Atque utinam his potius nugis totu illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas impune et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

Ceterum nulla usquam ibi inveniuntur indicia, quae ad certum quoddam tempus referri possint. Rem ipsam, de qua deliberantes inducit poeta consiliarios principis, tam vividis coloribus depictos, jam ante bellum Dacicum (h. e. a. 86 p. Chr.) actam esse voluit, ut ex v. 111 intelligitur:

Et qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus.

Quando vero prima carminis fundamenta jacta sint, de ea re quidquam certi affirmare nolo, sed, ut verbis Heinrichii in summ. utar, "recentem scriptoris affectum ex praeteritarum rerum memoria" pro indicio quodam modo haberi posse credo ea fortasse ipsis Domitiani temporibus vel saltem paulo post obitum ejus condita esse. Quod a me sic dici ne quis miretur, suspicionem redintegrati operis in hanc quoque satiram apte convenire judico ob principium ejus a v. 1—36, quod cum reliquo carmine adeo non conspirare appareat, ut prorsus aliarum, ac quae id excipiunt, rerum expositionem praeparare videatur [1]). Statim in primordio non habent haec verba:

Ecce iterum Crispinus, et est mihi saepe vocandus
Ad partes,

---

[1]) Recte Gu. E. Weberus l. c. p. 331: "ihr Eingang verspricht offenbar etwas Andres, als der eigentliche Inhalt von v. 37 an besagt, und sie (die 4:te Sat.) zerfällt folglich in zwei nur zufällig zusammenhangende ungleiche Theile." Hanc dispositionem arte carentem nec ad certam quandam rationem dilucide et constanter instructam, quam multi pluribus locis sibi apud Juvenalem deprehendere visi sunt cujusque causam equidem in carminibus saepe pertractandis et singulis partibus eorum diverso tempore conscriptis inter se permiscendis ponendam esse censeo, in quarta et sexta satira defendere conatus est Naegelsbachius in Philol. T. III p. 469 sq. Versus IV sat. 1—36 tamquam Juvenale prorsus indignos excidi rejicique vult Ribbeckus, vid. D. echte u. d. unechte Juv. p. 76 sq.

Digitized by Google

quo commode referantur. Verum ut voc. *iterum* ad I sat. v. 26—29 redire putemus, quo loco non minus quam in hujus sat. v. 108 Crispinus in transcursu tantum attingitur, eam quidem rem in controversiam venire non posse confido, utrum Crispinus "iterum ad partes vocatus" ganeo ille libidinosus et profusus, qui statim post inducitur, habendus sit, an homo mollis et delicatus, qui altero hujus satirae loco commemoratur. Nam ne prima illa verba ad posteriorem hanc personam, quam Crispinus, quasi duabus personis in hac satira indutus, v. 108 sustinet, referantur ipsa hujus loci brevitas prohibet. Sequitur igitur, ut poeta hoc principium scribens alio ductus fuerit consilio, aliud in ipsa satira componenda secutus sit, quae tota ad principem, non ad Crispinum spectet. Huc accedit, ut in sequentibus satiris nulla usquam mentio fiat Crispini. Quod quum ita sit, mihi est persuasum hoc initium antea, quam ceteram eclogam, conscriptum esse et ei, quum reficta absolutaque est, connexum. Quod non multo post mortem Domitiani factum esse dixi. Sic quartae quoque satirae testimonium sententiam meam tueri patet, Juvenalem, quae ex superioribus temporibus in posteriora perscripta retulisset, ea munus satirarum edendarum obiturum denuo pertractasse atque nonnulla etiam inter se intexuisse atque in unum conflasse. Idem multo etiam magis in quintam satiram cadere manifestum est, quae, quamquam certis argumentis, cui tempori originem suam acceptam referat, probari nequit, se tamen multa iteratione confectam esse pluribus locis clarissime prodat. Neque enim quemquam fugere potest, quantopere in posteriore ejus parte inde a v. 107 apta quaedam et concinna rerum expositarum series desideretur. Primum v. 107—113 languidi sunt et coenae descriptionem interrumpunt; deinde quid sibi velint v. 125—145 inter "structorem" et "fungos" valde difficile est intellectu; postremo v. 161—169 non modo sine ullo cohaerentiae detrimento sed etiam multo aptius abesse posse quis non videt? imprimis otiosi et a loco, ubi nunc leguntur,

Digitized by Google

alieni sunt v. 166—169, in quibus id quoque jure mirandum est, quod poeta plures adfatur *(spes — vos decipit)*, quum et in prioribus et postea sibi rem cum uno tantum esse fingat. Cum Ribbeckio hactenus sentire non dubito, quoad hos locos minus apte carmini intextos atque concinnitati sententiarum obstantes esse putat (v. Der echte u. d. unechte Juv. p. 109 sq. et 139 sq.), ac tamen transponendi rejiciendique medelam, qua hic quoque ex more suo usus est, adhibere non audeo vel potius ne recte quidem adhibendam esse censeo, quoniam externa indicia omnino desunt. Sed, quod multo etiam audacius a me statui plerisque forsitan videatur, facere non possum, quin hanc deformitatem ipsi scriptori culpae vertam, quippe quem carmina sua pertractantem haud raro nova intexere solitum arbitrer. At dixerit quispiam me poetam carminum suorum elegantiam et perspicuitatem paene consulto obscurantem et imminuentem facere, qua opinione vix quidquam absurdius aut cogitari aut dici posse, praesertim quum de Juvenale quaestio sit, qui inde ab ineunte aetate, ut videtur, rhetoricis imbutus minime is fuerit, qui, ut verbis Horatii utar, jam nunc dicere jam nunc debentia dici nescierit. Verumtamen et meam sententiam defendi puto ipsa poesis Juvenalianae indole, quae multo magis in singulis rebus depingendis et dilatandis, quam in certa quadam consilii et rationis norma constanter persequenda cernatur. Qui recte igitur secum reputaverit, quanto studio et amore Juvenalis in eisdem exemplis varie illustrandis atque iterum ac saepius repetitis denuo amplificandis immoretur, quam subitos vel nulla vel levissima vel fortuita causa arrepta transitus ad novam ejusdemmodi declamationum seriem sibi paret, quam violenter saepe orationem illuc deflectat, unde primo tracta est, is profecto non mirabitur me statuere Juvenalem, singularum sententiarum lenociniis captum atque ingenio suo ad orationem continuis luminibus collustrandam, quam ad claritates aliquando per umbram et recessum excitandas, magis proclivi indulgentem, eas satiras, quas maximam partem

Digitized by Google

elaboratas e prioribus temporibus in posteriora retulerat, editurum multa, quae ad summam operis non semper conducant, adjecisse. Accedit, quod hujus satirae loci, de quibus locuti sumus, iique imprimis, qui versibus 107—113, 161—165, 166—169 continentur, in se habent nescio quid absoluti et epigrammatum simile, ut per se minora quaedam poemata efficere possint.

Multa in hanc partem de sexta quoque satira disputari possunt, cujus, si viam, quam ingressus est Ribbeckius, sequeremur, vix ulla prioris faciei vestigia remanerent. Quamquam equidem omne argumenti filum per singulas carminis partes satis aequabiliter effusum non ita desidero, ut Ribbeckius, minime tamen pro hac tenui infirmaque parte probandam esse censeo argutissimam hujus fili indagationem, quam proposuit Naegelsbachius in Philol. T. III p. 472 sq., quae non ex ipsa carminis natura ac dispositione ultro quasi enata, sed acumine quodam disputandi extrinsecus illata haberi debeat. Sed mitto nunc hanc quaestionem, quae fines libelli mei nimis egrederetur, et plerosque concessuros sperans rationem, qua se in hac satira excipiunt singulae partes et sententiae, non ubique tam aptam esse et concinnam, quin suspicionem de multis rebus posterius ab ipso scriptore additis, mutatis, pertractatis admittat, ad indicia temporis, si quae inveniantur, perquirenda transeo. In hac investigatione paene mirandum videtur, quod in tanta rerum copia varietateque exemplorum, quibus haecce satira abundat, vestigia non facile eruuntur, quorum ope certissimi quidquam de conscribendi tempore expromere liceat. Verumtamen et carmen tam longum non uno tenore conscriptum esse, sed saepe interruptum denuoque inchoatum aliquod temporis spatium complecti necesse erat, et res ipsa, in qua describenda versatur, ad certum temporis intervallum non pertinens, sed jam inveterata atque in aetatem scriptoris e superiore redundans eum ultro invitabat, ut e praesenti in praeteritum tempus regrederetur et munus, ut ita dicam,

Digitized by Google

historicum obiret. Quod Juvenalem plane perspectum habuisse probant verba ejus v. 292—3:

Nunc patimur longae pacis mala; saevior armis
Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.

Si igitur vestigia illa perpauca et non satis certa persequimur, ea praecipue ad tempora Domitiani nos conducere videntur. Huc pertinet mentio mimi et delatoris Latini v. 44 atque aequalis ejus mimae Thymeles v. 66 injecta. Si Eppiam, quae a gladiatore furtim abducta esse narratur v. 82—113, uxorem Fabricii Vejentonis, viri his temporibus notissimi (cf. IV 113), fuisse putamus, res illa sub Domitiano (v. Schol. ad v. 87), vel fortasse antea, acta erat. Nam Fabricius ille Vejento, quem etiam temporibus Nervae in vivis fuisse testatur Plin. ep. IV 22, IX 13, jam Nerone regnante praetor fuit (Dio. Cass. LXI 6, Tac. Ann. XIV 50). Quis fuerit Celsus, qui v. 245 commemoratur, satis certe explorari non potest. Duo enim erant Celsi jurisconsulti, pater et filius, quorum hic, natus, ut credunt, sub finem imperii Neronis circa annum 66 p. Chr., praetor fuit an. 101 (Paylyi Encycl. T. IV p. 694). In tempora Domitiani apte quadrant verba v. 250:

nisi si quid in illo
Pectore plus agitat veraeque paratur arenae.

Cf. Sat. I 22 et Suet. Dom. 4: "nec virorum modo pugnas, sed et feminarum" et Stat. Silv. I 6 53:

Stat sexus rudis insciusque ferri
Et pugnas capit improbus viriles.

Feminas jam sub Nerone in arenam descendisse narrant Tac. Ann. XV 32 et Dio Cass. LXI 17, quod temporibus Domitiani, ut videtur, vulgatum, a melioribus imperatoribus deinde haud dubie repressum denuo usu venisse refert Dio Cassius in Severo LXXV 16 (cf. Gu. E. Weber. l. c. p. 241 sq.). Ad quas res v. 407—412:

Instantem regi Armenio Parthoque cometen
Prima videt; famam rumoresque illa recentes
Excipit ad portas, quosdam facit; isse Niphaten

Digitized by Google

In populos magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia, narrat,

recte essent referendi, multi dubii haeserunt. Scilicet stellam crinitam his temporibus post an. 79 (Suet. Vesp. 23) non apparuisse dicunt et nos tam formidolosos terrae motus in oriente cognitos non habere ante an. 115, quo anno violentam rerum naturae ruinam urbi Antiochiae locisque urbi propinquis magnam cladem attulisse atque ipsum principem Trajanum ibi versantem in vitae discrimen adduxisse narrat Dio Cassius LXVIII 24—25. Quas res tam longo tempore inter se disjunctas Juvenalem h. l. memorasse multi crediderunt. Idem credidit Ribbeckius, quod fuit inter causas, quibus commotus v. 398—412 tamquam Juvenale indignos rejecit (p. 173). Sed longe aliter mihi hujus loci ratio comparata videtur. Heinrichio plane equidem assentior, qui hic de rumoribus temere fictis nec ad veras res spectantibus agi ex verbis: "quosdam facit" recte, ut opinor, collegit (Comm. p. 257). Nam tantum abesse credo, ut poeta mulieres illas de rebus, quae revera accidissent, confabulantes facere voluerit, ut quam maxime consulto exempla tam longinqua elegerit ac talia insuper, quae per se parum probabilia viderentur ideoque imprimis apta essent ad studium et ardorem istarum eo vividius depingendum. Qua in re acumina hujus loci omnino ponenda esse censeo. Fortuito sine dubio factum est, ut narratio Dionis in c. 25 extr. tam proxime ad similitudinem rerum a Juvenale memoratarum accedere videatur. Si vero haec scribens de ruinis illis Antiochenis tunc recentissimis cogitasset, cur non solum non tot hominum cladem, sed ne periculum quidem imperatoris, quo imprimis rumores moverentur necesse fuit, memoraturus fuerit intelligi nequit. Nec praetermittendum est fictum nomen Niphatis, quod apud poetas quosdam flumen significat; revera nomen montis erat (vid. Mitscherlich. ad Hor. od. II 9 20). Itaque vix quisquam sibi recte persuadebit, Juvenalem in veris casibus descri-

Digitized by Google

bendis tale nomen usurpaturum fuisse. Quod attinet ad v. 562—564:

> Nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
> Sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
> Contigit et parva tandem caruisse Seripho,

aptissime ad edicta Domitiani referuntur, quibus astrologos, magos, chaldaeos, ejusmodi homines iterum ac saepius urbe expellebat (v. Imhof. l. c. p. 93). Sed incertum est, utrum ad Domitianum an ad Trajanum referendus sit v. 205:

> quum lance beata
> Dacicus et scripto radiat Germanicus auro,

quum utrumque hos titulos habuisse constet (de Domit. vid. Mart. VIII prooem.) Sed nullus Domitiani nummus aliudve monumentum exstat, in quo cognomen Dacici invenitur (vid. Burm. ad Suet. Dom. 6 et Imhof. l. c. p. 54 ann.). Quamquam equidem hanc rem non magni ponderis esse puto, tamen cautius forsitan egerimus, si verba Juvenalis ad Trajanum referemus, quem cognomen Germanici eodem anno, quo adoptatus sit, accepisse docet Plin. Paneg. 9, Dacici vero post primum bellum Dacicum finitum a. 103 sumpsisse fidem faciunt nummi hujus anni (vid. H. Francke. Zur Geschichte Trajans p. 13 sq.) et Dio. Cass. LXVIII 10. Certa igitur temporis nota nobis quodam modo contigit, siquidem Juvenalem nummorum Trajani memorem fuisse credamas oportet. Quod quum ita sit, sequitur, ut haec satira nulla certa temporis indicia habeat, quae supra a. 103 egrediantur.

De tempore, quo Juvenalis satiram septimam composuisse credendus sit, multi viri docti scripserunt mirum in modum inter se dissentientes[1]). Sed dirempta nunc haec quaestio habenda est Trajanusque Caesar, quem in exordio alloquitur poeta, agnoscendus post accuratissimam C. Fr. Hermanni disputationem, qua ut in hac re expedienda omnium merito nactus est assensionem, ita in ceteris vitae Juvenalis

---

[1]) Vid. C. Fr. Hermanni disp. de Juv. sat. sept. temp. p. 3 sq.

Digitized by Google

rationibus imprimisque exilii auctore explorandis parum processit. Ac quicunque hoc carmen nulla opinione praejudicata ductus legerit, tempora Domitiani artium liberalium cultoribus tam iniqua facile agnoscet. Ad Trajanum igitur se convertit Juvenalis, in quo unico spem et rationem studiorum, quae priore tempore misere neglecta jacuissent, positam esse ait; nullo modo ad Hadrianum, ut alios imperatores ab aliis propositos omittam. Ille enim princeps eos, qui litteris operam dabant, si non ardentiore studio amplexus est, ita saltem adjuvit et sublevavit [1]), ut tristissimam litterarum imaginem in hac satira expressam in tempora ejus cadere existimare minime consentaneum sit. Nec, credo, quisquam sibi recte persuadebit, conditionem litterarum artiumque sub Hadriano valde felicem tam subito exortam esse, ut hanc miserrimam continuo exceperit. Minime vero par fuit modicas laudes, quas hic Caesari a scriptore paene invito impertiri videmus, Hadriano tribuere, qui ardentissimus liberalissimusque studiorum fautor exstitisse dicitur [2]). Sed praeter has externas rationes, quibus plures adjici possunt et suo quaeque loco

---

[1]) Cf. Plin. Paneg. 47: *Quid? vitam, quid? mores juventutis quam principaliter formas! Quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes! Ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.* Quae verba quis non videt, quam apte cum initio septimae satirae Juvenalis conspirent, si a blanditiis laudatoris paulum discesseris.

[2]) Cf. Ael. Spart. vit. Hadr. 16: *sed quamvis esset in reprehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus facilis, tamen omnes professores et honoravit et divites fecit, licet eos quaestionibus semper agitaverit. Et quum ipse auctor esset, ut multi ab eo tristes recederent, dicebat se graviter ferre, si quem tristem videret. In summa familiaritate Epictetum et Heliodorum philosophos et, ne nominatim de omnibus dicam, grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit, prae ceteris, ut multi asserunt, eminente Favorino. Doctores, qui professioni suae inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit.*

Digitized by Google

adjicientur, gravissima in ipsa satira insunt argumenta, quae Trajanum quam maxime commendant. Primum Thebaidos Statii recitationem, ut rem nuper actam et omnibus notam commemorat Juvenalis v. 82 sq. Statium autem hoc opus intra annos 80—92 confecisse docet Dodwellus in Ann. Stat. p. 202 sq. At si sub Hadriano septimam satiram condidisset Juvenalis, mirum sane fuisset, ut rectissime monet Voelkerus l. c. p. 96, ad tempora praesentia carpenda id convertere, quod ante triginta circiter annos accidisset. Atque etiam multo magis mirandum videretur eum tunc versus 90—93 ante quadraginta fere annos in Paridem conscriptos revocaturum fuisse, quos nemo Ribbeckio (in praef. ed. Juv. p. XII) credet Juvenalem "quasi postliminio revocasse, quum alteram vel integri corporis vel septimae satirae editionem paravisse videtur circa annum 135." Concedit enim Ribbeckius quoque hanc satiram sub Trajano compositam primoque editam esse. Quod vero Quintilianus v. 188 sq. pro rarissimo locupletati rhetoris exemplo inducitur, non est, quod epistola Plinii 32 libri VI ad Quintilianum quendam "modicum facultatibus", cui quinquaginta milia nummum in dotem filiae nupturae se collaturum promisit, eodem fere tempore data nobis dubitationem moveat. Confecta enim res haberi debet de hoc Quintiliano, quem Fabium illum rhetorem non esse jam vidit Spaldingius in praef. p. XXXI sq. et ad Quint. III 1 21 atque Hermannus l. c. p. 17 sq. idoneis rationibus abunde probavit. Docet enim non esse credibile Quintilianum rhetorem his temporibus tam pauperem vixisse, quem a Vespasiano salario publice constituto donatum ac, postquam artem per viginti annos professus esset, honesta missione accepta ornamenta consularia a Domitiano per Clementem Domitiani patruelem, cujus liberos educasset, impetrata (Auson. in grat. act. ad Grat. p. 290 ed. Bipont.) nactum esse constet. Confirmat haec et orbitas rhetoris ab ipso in praef. libri VI deplorata et silentium Plinii de disciplina Quintiliani, qua se usum esse aliis locis

Digitized by Google

(Ep. II 12, VI 6) profitetur cujusque mentio huic epistolae aptissime inseri potuit. Itaque concidere debere manifestum est ratiocinationes Dodwelli (Annal. Quint. p. 138 sq.), quibus statuit rhetorem filiam ex altero matrimonio sustulisse atque his etiam temporibus pauperem ab Hadriano tandem circa ann. 118 ornamenta illa consularia accepisse. Ac ne illud quidem certum est, num vitam tam longe produxerit; contra multo probabilius videtur eum jam tum mortuum fuisse, quum Juvenalis nomen ejus pro cujuslibet advocati, rhetoris, docti viri usurpare coepit (VI 75, 280, VII 186). Hujus rei auctorem reperio C. L. Rothium in praef. ed. Suet. p. LXXVII, qui contendit Quintilianum jam vel Domitiano vel Nerva imperante fato concessisse. Nescio equidem, unde id compertum proferat, probabile tamen habeo ex locis illis Juvenalianis, ubi nomen Quintiliani pro communi quodam exemplo ponitur. Postremo quis non videt totum septimae satirae colorem ut a sequentibus inde a decima, quas sub Hadriano conscriptas esse certis indiciis demonstrare licet, valde discrepare, ita ad indolem priorum proxime accedere (cf. Hermann. l. c. p. 19)? In quibus quum nulla certior temporis nota annum 103 egrediatur, haec statim post vel fortasse rectius eodem tempore, quo priores retractatae sunt, condita quominus habeatur nihil est, quod impediat. Huc duae imprimis causae accedunt, quae nos sic de conscribendi tempore monitos in hac sententia etiam magis firmare debent. Primum enim Juvenalis satiras suas in eum ordinem digessisse videtur, quo eas absolvit, quare etiam satira tempore prima secundum locum obtinet post primam, quae nihil aliud est, nisi voluminis praefatio. Deinde septima satira novi aliquid affert, ut ad eam jam non pertineat, quod de mortuis tantum a se perstringendis in prima loquitur poeta. Hic enim sibi rem cum praesenti tempore esse aperte confitetur statum, qualis in hanc aetatem e priore redundarat, litterarum carpens. Fundamentis igitur superiorum satirarum, quae magnam partem jam sub Domitiano jacta esse vidi-

Digitized by Google

mus, retractatis atque in eam formam, quam nunc habent, refictis, animum in praesentia tempora convertere coepit. Ibi status litterarum homini, qui se litteris totum dedisset, maxime cordi esse debebat. Atque indignatione, quam haec res ei moverat, quasi relaxatus ad argumentum e rhetorum scholis quodam modo petitum in octava satira tractandum sedatiore animo transiit, quam eodem tempore, quo priores, compositam esse ostendit v. 120, ubi ejusdem Marii Prisci mentio fit, de quo ad primam satiram diximus. Quamquam peculiari temporis nota caret nona satira, et rerum ibi expositarum foeditas et totus orationis color clarius indicant eam quoque ejusdem temporis esse ac superiores, quam ut in hac re dubii haereamus.

Ut nunc quaestionem ad caput illud, quod in exilii auctore explorando versatur, tandem transferamus, apte ad persuadendum mihi disputasse videor, fundamenta primi saltem libri ac fortasse etiam secundi sub Domitiano jacta esse atque deinde a scriptore pertractata et conflata, quum carminum volumen emissurus esset[1]). Atque ipsam editionem statim post annum 100, fortasse hoc ipso anno, subsecutam esse omnes fere recentiores, excepto Franckio (vid. supra p. 56), consentiunt et clarissimo temporis indicio, quod habet prima satira, diligentius reputato consentire debent. Nec tamen omnes tres priores libri junctim, sed alius post alium separatim editi esse vel ideo putandi sunt, quod nomen *libelli* in prima satira usurpatum aptissime ad unius tantum voluminis circuitum quadrare videtur atque insuper ultima illius satirae verba cum argumentis in tertio libro imprimisque in septima satira tractatis parum conspirant, ubi poetam se ad praesentia tempora respicere haud obscure profiteri diximus. Praeterea singuli hi libri tantum fere versuum numerum continent, quem uno volumine comprehendi solitum esse constat. Sunt igitur, ut mea fert opinio, parvo temporis spa-

[1]) Cf. quod in eandem fere sententiam disputavit Gu. E. Weberus l. c. p. 226 sq.

Digitized by Google

tio interjecto alius post alium intra annum 100 et ineuntem annum 104 emissi, de qua temporis descriptione mox plura disputabo. Namque re etiam per se considerata tantam temporis distantiam inter ultimam scriptoris manum carminumque editionem interponere, ut satiras sub initia Trajani conscriptas post duodeviginti annorum spatium Hadriano imperante in lucem editas esse credamus, vix consentaneum videbitur. Nec vero hac sententia in Salmasio [1]) et Dodwello (Annal. Quint. p. 161) offendamur, ut qui recte potius quam nimis anxie auctoritatem vitae I amplexi fuisse dici possint, quando eorum tempore haec vita una innotuerat. Ubi quum legerent poetam octogenarium in exilium esse ejectum, necessario ad exilium in Hadriani tempora deprimendum adducebantur. Sed, si quidquam, ex superiore disputatione mea id pro certo poni posse confidenter puto, minime necesse esse scriptori vitae I in hac re fidem donare. Atqui vestigia illa antiquissimae narrationis supra illustrata, quae nos ad exilium poetae octogenarii rejiciendum aperte conducant, non modo omni cura causae cujusdam idoneae, quare tam sero Juvenali tale quid accidisse putemus, fingendae nos protinus expediunt, sed etiam Hadrianum tamquam exilii auctorem satis certe excludunt. Itaque nullo modo aut cum Ribbeckio ad alteram editionem refugere aut Hadrianum omnino retinere opus esse patet. Ac postremo, quod observatione haud indignum putaverim, tantopere a verisimilitudine abhorret longior illa dilatio, qua multi trium priorum librorum editionem retardatam fuisse crediderunt, ut paene mirum videretur, quare libri jam sub Domitiano inchoati atque ex aliqua parte etiam scriptione elaborati et perfecti statim post mortem ejus non prodierint, nisi perfacile intellectu esset, orbem Romanum saevitia superiorum temporum

---

[1]) Verba ejus in Exerc. Plin. p. 452 haec sunt: "Sic pars earum sub Domitiano composita, pars sub Trajano, quaedam sub Hadriano factae, omnes autem Hadriani aevo recitatae et publicatae."

Digitized by Google

defatigatum Trajano tandem imperante securitatis felicitatisque dulcedine perfundi coeptum esse, ut laetiores aliquot ingenii fructus tunc primum apparere inciperent. Etenim Nerva magis aetate provectus erat, quum imperium adiret, breviusque ejus regnandi tempus, quam ut ad salutem communem stabiliendam animosque firmandos quidquam revera contulisse putandus sit, saltem non ante adoptionem Trajani [1]). Quamquam Tacitum jam sub imperio Nervae Agricolam ac fortasse etiam Germaniam edidisse consentiunt; ac tamen in satirarum scriptore diligentiorem quandam cautionem haudquaquam mirari debemus, praesertim quum nimia mansuetudine et clementia Nervae factum esse sciamus, ut amicos Domitiani, in quos publicum odium flagraret, circa se honoratos esse passus sit (cf. Plin. ep. IV 22). Eodem igitur silentio, quo antea, aetatem sub Nerva et per duos primos imperii Trajani annos transegit Juvenalis, quoniam sibi quidem haud dubie etiam tum exspectatione opus esse duxit, donec securitas publica, ut cum Tacito loquamur, non spem modo ac votum, sed ipsius voti fiduciam assumpsisset.

At, inquiunt, si Trajanus non litterarum modo, sed etiam salutis communis restitutor, per quem, quod vellent, sentire, et, quod sentirent, dicere liceret, Juvenali, sicuti Tacito (H. I 1), merito videbatur, minime consentaneum erit credere eum in ipsa illa satira, cujus principium a laudibus Caesaris duceret, se reprehensione hujus non abstinuisse. Cui rei praecipue multum tribuit Ribbeckius, in praef. ed. Juv. p. XI dicens se "vix ac ne vix quidem credere posse poetam in eo carmine, quo principis erga scriptores indulgentiam grato animo extulisset, ejus aulae pravas licentias et largitiones acerbissime castigaturum fuisse." Quid? acerbissime? Num in verbis Juvenalis, qualia nunc in septimae satirae v. 90—92 exstant, vel minima inest causa,

---

[1]) Aptissima ad sollicitudinem, quae occiso Domitiano etiam tum animos constrictos tenebat, illustrandam est Plinii ep. IX 13.

Digitized by Google

quae in talem sententiam nos adducere possit? Nam quis non videt ibi licentias aulae, si quae tunc invaluerant, tam oblique et tecte castigatas esse, ut ne id quidem pro certo haberi liceat, num sit dedita opera factum. In medio enim, si quid judico, relinquendum est, quo consilio ductus Juvenalis versus illos in Paridem conscriptos posteriore tempore in septimam satiram inseruerit. Neque enim de consilio quidquam habent vitae, ubi id solum memoriae proditum invenimus, Juvenalem post brevem illam satiram revocatam *in suspicionem venisse, quasi tempora figura notasset.* Quo nihil ad totam hujus famosi septimae satirae loci indolem aptius dici posse manifestum est, quippe qui ita comparatus sit, ut ne aequales quidem obliquam temporis praesentis reprehensionem ibi animadversuri fuerint, nisi quid ipso illo tempore accidisset, quod ad talem interpretationem invitare videretur. Quod quum ita sit, quaestionem eo imprimis intendamus oportet, ut res illae, quaenam qualesve fuerint, indagentur. Ac tamen alia quaedam causa exstitisse forsitan non possit negari, quae huic interpretationi poetae nostro tam calamitosae etiam magis faverit; haud dubie enim cognitum habebant aequales brevem illam satiram priore tempore in Paridem, Domitiani pantomimum, conscriptam esse, quare eo magis in suspicionem adducti sunt, Juvenalem ejus redintegrandae occasionem sibi de industria quaesivisse. Quod etiam si revera factum esse concedatur, profecto non sequitur, ut satirarum scriptor a licentiis in aula jampridem inveteratis, potentiam dico histrionum, libertorum, ejusdemmodi hominum, obiter perstringendis sibi temperare debuerit, si vel maxime quoque ipsi principi, qui res publicas optime moderaretur atque gubernaret, aliquam laudem deberi censuit. Praeterea non omittendum est, quam sint modicae laudes, quae Caesari tribuuntur, quam frigidae atque adeo non ad veram grati animi testificationem accommodatae, ut non magis ad indulgentiam principis erga scriptores praedicandam, quam ad tempora illa, ab humanitatis litterarum-

Digitized by Google

que studiis tam aversa, carpenda valere videantur. Sed fac versus illos sub Hadriano tandem in septimam satiram insertos tunc exilii causam exstitisse. Quid, obsecro, sic assequemur? Omissa enim altera vel septimae satirae vel omnium carminum editione ex arbitrio ficta prorsus nihil de Hadriano compertum habemus, quod cum argumento versuum illorum conspiret. Nec sane verba epistolae ad Juvenalem datae, quae dicuntur, intexta: "et te Philomela promovit", quae quantopere ad ingenium Hadriani facetum salibusque acerbis indulgens quadrent, omnes, qui pro Hadriano pugnant, uno ore conclamare solent, tanti ponderis sunt, ut totam controversiam dirimant. Quam levibus temereque arreptis rationibus Hadriani propugnatores, etiam si in vita I de exilio poetae octogenarii vere traditum esset, saepe utantur, haec verba Ribbeckii in praef. ed. Juv. p. XII documento sint: "in quibus (versibus) quum Philomelae nomen histrionis cujusdam tunc praepotentis bilem excitasset, irae homunculi indulgens ac fortasse sui quoque odii explendi praetextum arripiens Hadrianus octogenarium cohorti in extrema Aegypti parte tendenti praefecit."

Ergo, ut ad primum illud revertar, quum tres priores satirarum libros sub Trajano editos esse constet neque certa ulla et probabilis afferri possit causa, cur, si Juvenalis seriore quodam tempore in exilium ejectus esset, futurum fuerit, ut versus 90—93 tum demum septimae satirae intexerentur, requiretur nunc, quaenam res ipso illo tempore cavillationis suspicionem movere potuerint. Nec deerant sane ejusmodi res, quarum satis certa ad nos perlata est cognitio, quam cur plerique neglexerint ac pro nihilo fere putaverint, equidem semper miror. Verba enim Dionis Cassii haec exstant LXVIII 10: *Τραιανὸς δὲ τά τε νικητήρια ἤγαγε καὶ Δακικὸς ἐπωνομάσθη, ἔν τε τῷ θεάτρῳ μονομάχους συνέβαλε, καὶ γὰρ ἔχαιρεν αὐτοῖς, καὶ τοὺς ὀρχηστὰς ἐς τὸ θέατρον ἐπανήγαγε, καὶ γάρ ἑνὸς αὐτῶν τοῦ Πυλάδου ἤρα.* Quod post finem belli Dacici primi anno 103 p. Chr. factum est, quo tempore Dio pantomimos a Trajano restitu-

Digitized by Google

tos esse ait, quos publice agi ipsum ante aliquot annos vetuisse testis est Plinius in Paneg. 46. Nam hoc spectaculorum genus, cui scena a Domitiano interdictum esse refert Suetonius in Dom. 7, Nerva revocaverat. Sed verba Plinii, quibus hanc rem attingit, digna videntur, quae hoc loco exscribam: "Et quis terror", inquit, "valuisset efficere, quod reverentia tui effecit? Obtinuit aliquis ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur, sed non obtinuit, ut vellet. Rogatus es tu, quod cogebat alius, coepitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minore concentu, ut tolleres pantomimos, quam a patre tuo, ut restitueret, exactum est. Utrumque recte: nam et restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps, et tolli restitutos. In eis enim, quae a malis bene fiunt, hic tenendus est modus, ut appareat auctorem displicuisse, non factum. Idem ergo populus ille aliquando scenici imperatoris spectator et plausor, nunc in pantomimis quoque aversatur et damnat effeminatas artes et indecora seculo studia. Ex quo manifestum est, principum disciplinam capere etiam vulgus, quum rem, si ab uno fiat, severissimam fecerint omnes. Macte hac gravitatis gloria, Caesar, qua consecutus es, ut quod antea vis et imperium, nunc mores vocarentur. Castigaverunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur, iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de severitate tua queritur, et liberum est queri", et q. s. Vix opus est monere, Plinium hoc quoque loco, ut saepissime in Panegyrico suo, partes laudatoris ardentius persecutum esse, quam ut verbis ejus inniti liceat. Nec cuiquam sane in mentem veniat tantum ambitiosae huic et fucatae eloquentiae largiri, ut Romanos illo tempore tam vehementer pantomimos fastidisse credat, quod quidem ludorum genus, quo nulli fere scenici ludi homines aetate imperatorum magis oblectabant, plurimas animorum capiendorum illecebras habuisse omnibus notum est. Quapropter etiam, quamvis primo seculo p. Chr. saepe sublatum, diu in scena posterioribus temporibus illa-

Digitized by Google

cessitum remansit (vid. Friedlaender. Darst. T. II p. 302). Sed non tam studiis vulgi excitandis aptum fuit, quam intelligentiae voluptatibusque hominum eruditione quadam excultorum praecipue accommodatum, quippe quod nullo pleniore personarum et sermonis apparatu instructum omnia ad motus corporis referret atque in fabulis, ut captus vulgi erat, fortasse doctioribus exprimendis plerumque versaretur (l. c. p. 290). At quaerat quispiam, quorsus haec spectet oratio. Id ago, ut demonstrem, eam duntaxat vim verbis Plinii haud temere posse tribui, ut, quae Trajano in consilio suo pantomimos a scena arcendi perseverare non admodum difficile fuisse probent, digna habeantur. Nam propter ipsam hanc rem, quod sic mihi testimonio Plinii jure uti videor, mirarer profecto, cur pantomimos a se cum omnium assensu vel nullo saltem repugnante non multo plus quam triennio ante sublatos revocaverit, nisi eum hominum quorundam gratiae et amori atque suo fortasse ipsius studio et voluptati id indulsisse a Dione indicatum reperirem. Quod vero hic scriptor, qui tam faciles aures obtrectatoribus praebuisse videtur nec calumniarum mentionem qualibet occasione oblata injicere umquam dubitat, Trajanum Pyladem pantomimum dilexisse ait, non est, quare illum protinus turpissimae libidinis incusemus. Quamquam in antiquitate non defuerunt, qui id facerent (vid. H. Francke l. c. p. 639 sq.). Nobis quidem credere sufficiet, Trajanum pravis consuetudinibus in aula principum Romanorum jampridem usitatissimis nonnihil obnoxium fuisse atque libertis, histrionibus, aliis ejusdemmodi hominibus aliquid auctoritatis et potentiae concessisse (cf. Plin. Paneg. 88, Ael. Spart. in Vit. Hadr. 4). Ac quod opponit Hermannus in praef. p. v, "Trajanum eum non fuisse, qui histrionis favori praefecturas et tribunatus indulgeret", id haud magni ponderis esse patet, quum ne necessarium quidem sit statuere idcirco tantum futurum fuisse, ut versibus Juvenalis offenderetur, quod tantae erga istud hominum genus indulgentiae revera locum dedisset. Quanto

Digitized by Google

magis enim se a tantis probris alienum esse sensit, tanto aegrius obliquam eorum, ut videbatur, insimulationem, ab omni tamen culpa, quae huc traduci posset, non vacuus, ferre debuit (cf. Plin. ep. VI 31 9: "Nec ille Polycletus est, nec ego Nero"). Itaque quin exilium Juvenalis ad Trajanum referamus quidquam adeo non obstare videtur, ut sic tantum omnia inter se optime convenire manifestum sit. Incidit autem relegatio in temporis spatium, quod anno 103, quo Trajanum triumphum de Dacis egisse atque res illas, quae cum poenae causa aptissime conjungi possunt, accidisse narrat Dio Cassius, et ineunte anno 104 comprehenditur, quo posteriore anno princeps, secundum bellum Dacicum incepturus, verno tempore ad exercitum profectus est (vid. H. Francke. l. c. p. 124). Editi sunt igitur tres priores satirarum libri intra annum 100 et anni 104 initium.

Restat, ut nonnulla de Domitiano adjiciam, quem imperatorem recte esse exilii auctorem habendum C. F. Hermannus in disputatione saepe jam citata de Juv. sat. sept. temporibus Ind. lect. Gotting. 1843 praemissa et denuo in praef. ed. Juv. (Lipsiae 1860), multis assentientibus probare conatus est. Sed ambigit, quo tempore Domitianus Juvenalem sub honesta militiae specie exulare jusserit, vivone Paride [1]) an, quia illius nomine se notari Domitianus suspicaretur, mortuo (vid. praef. p. v). Si vero Juvena-

---

[1]) Ne posterioribus quidem temporibus illi sententiae defuit patronus suus, quam multos scholiastarum amplexos esse diximus, brevem illam satiram in Paridem Neronis compositam fuisse. Exstitit hujus sententiae patronus Oudendorpius ad Suet. (v. Rupert. T. I p. XXIV), contendens Juvenalem octogenarium sub imp. Hadriano satiras suas recitasse atque pro Neronis pantomimo inseruisse Sat. VII 87 Domitiani pantomimum juniorem Paridem. Sed tota ejus computatio parum ipsa secum constat. Nam quum ait poetam declamationibus operam dedisse ad XL aetatis annum atque deinde lusisse aliquando satiram in Paridem Neronis pantomimum (a Nerone occisum a. 67), quomodo potuit esse octogenarius sub initia Hadriani? Necesse erat eum tunc nonagenarium minimum fuisse.

Digitized by Google

lem ante caedem Paridis (a. 83) a Domitiano relegatum, hoc autem occiso, quum, quae statuisset, omnia rescinderentur Nervaque exulibus revertendi potestatem concederet, Romam reducem fuisse credas, cave ne prorsus incredibilia expromere videaris. Nam qui per totum fere imperandi tempus Domitiani vel quattuordecim circiter annos peregrinatus esset idque in extrema orbis parte, eum summa cum indignatione tamquam oculatum testem res ejusdem temporis urbanas vividissimis coloribus describere non potuisse luce clarius est. Neque causam video, cur epigrammata Martialis 24 et 91 libri septimi aeque apta non sint habenda, quae Juvenalem sub Domitiano Romae versatum esse probent, atque epigr. 18 l. XII, cujus testimonio et Hermannus et alii usi sunt, ut eum intra primos Trajani annos ibidem vixisse ostenderent. In altero (24) illorum se cum Juvenale intima familiaritate conjunctum esse testatur, in altero (91) *facundi* appellatione eum adfatur, unde Juvenalem et famam poetae carminibus edendis nondum sibi paravisse et fortasse etiam tunc in rhetorices studium sedulo palamque incubuisse rectissime colligitur [1]). Sed editum maximamque partem haud dubie scriptum esse septimum librum Martialis anno 93 docet Friedlaender in disp. supra citatae de temp. libr. Mart. p. 10, post quem annum si Juvenalem poena a Domitiano affectum credimus, tam mite poenae genus, quod ille sustinuisse putandus est, in hujus mores ipso illo tempore ad summam saevitiam inclinatos (v. Imhof. l. c. p. 107 sq.) conferre haudquaquam par erit. Nisi forte quis in ea re perfugium quaerere studebit, quod Domitianum saevitia illa accrescente primos civitatis ordines hominesque nobiles et claritate quadam excelsos imprimis afflixisse constet, dum Ju-

---

[1]) Ad quem spectent verba Quintiliani mentione satiricorum injecta haec dicentis X 1 94: *Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur*, parum liquet. Vid. Spalding. ad h. l. Vulgo ab editoribus inter "testimonia", quae editionibus olim praeponebantur, ad Juvenalem relata inveniuntur.

Digitized by Google

venalis vitam obscuro loco agens vix summa principis ira dignus haberetur. Quod si concederemus atque insuper Domitiani propugnatoribus largiremur ex arbitrio similitudinisque opportunitate ficta in vitis de altero illo histrione principi grato jactari, valde mirum tamen videretur, quare Martialis hanc rem omnino non attigisset in epigr. XII 18, ubi mentio ejus perquam apte inseri potuit. Sed de Martiale nihil amplius dico. Si vero Juvenalis ob Paridis mortui (de vivo ne cogitari quidem potest) irrisionem auribus tyranni nescio unde oblatam a Domitiano exilio punitus esset, jure requireretur, cur ipse rem reticuisset, immo vero non reticuisset modo, sed mentitus esset atque ficta quaedam de se ipse enuntiasset. Nemo, credo, facile, ne dicam recte, sibi persuadebit, poetam acerrimo in tyrannum odio ductum omnia, quae ad mores ejus carpendos vitiaque ostendenda valerent, summo studio non arrepturum fuisse. Verum si causa quaedam ei fuerit hujus exilii reticendi, nobis non minus ignota quam intellectu difficillima, quid causae, quaeso, fingamus, quamobrem vel fieri potuerit, ut in prima satira tum demum incipientem et periculorum, quae hoc scribendi genus haberet, ignarum expertemque simulaverit. Namque exilium omnibus certe aequalibus res notissima fuit. Longe vero aliter credere licet rem se habuisse, si poenam sub bono principe, qualis fuit Trajanus, persolvit. Sic nihil profecto est, quod miremur, Juvenalem in duobus posterioribus satirarum libris, sub Hadriano, ut videntur, conscriptis, mentionem ejus non movisse. Sine dubio enim et poena, cujus auctor Trajanus fuerat, justam quandam speciem habere videbatur et, ne successorem reprehensione illius offenderet, cavere debuit. Quid, si ipso hoc officioso erga principem obsequio factum est, ut memoria vitae Juvenalis, dum in animis aequalium vigebat, a nullo componeretur?

Perpauca quidem, sed cum superiore disquisitione nostra aptissime ad concinnam vitae imaginem exprimendam congruentia temporis indicia habent reliquae satirae, quae

Digitized by Google

quin a prioribus longiore temporis intervallo sejungendae sint atque sub Hadriano tandem conscriptae, res non dubia esse videtur. Nam quartus liber etsi nihil, quod ad certam temporis definitionem pertineat, continet, adeo tamen ad ultimi libri similitudinem accedit, ut neque longiore tempore inter se distare possint hi libri et ambo ad aetatem poetae magis provectam recte sint referendi. Ibi enim acerrimum illum indignabundi animi impetum et ardorem sensim considere et restingui videmus; odium, indignationem, iram non spirant omnia; prodit et suavissima et doctissima severitas, quae in magna illa fortunae victrice sapientia, "sacris quae dat praecepta libellis (XIII 19)" acquiescens non omnem rerum humanarum spem abjicit, sed super temporum morumque pravitatem suspiciens ad altiora pergit et stabilem quendam rerum ordinem et rationem animadvertit atque commendat. Omnia denique scriptorem plane immutatum et carmina in provecta jam aetate condentem arguunt. Neque aliam ob causam memoratu dignus est locus, quem decima satira v. 365 cum XIV 315 communem habet, quum ejusdem decimae satirae v. 226 in prima quoque legamus, nisi quod, monente Hermanno in praef. ed. Juv. p. x, hic locus, ut qui in praecipuo Stoicae disciplinae praecepto tradendo versetur, duos postremos satirarum libros, ubi hanc doctrinam poetae imprimis placuisse apertum est, quasi communi quodam vinculo colligat et conjungit. Sed indicia temporis, quae satis expressa habet liber quintus, ad Hadriani tempora nos conducunt. Satiram tertiam decimam anno 119 aut 127 p. Chr. conscriptam esse docet v. 17:

> Stupet haec, qui jam post terga reliquit
> Sexaginta annos, Fontejo consule natus.

Quae verba ad duos Fontejos referri possunt, quorum alter C. Fontejus Capito consul erat a. 59, alter L. Fontejus Capito a. 67 p. Chr. Si ad utrumque hunc annum sexaginta annos addideris, computabitur aut a. 119 aut 127. Quorum priorem praeferre videtur Hermannus l. c. p. XVII,

Digitized by Google

haec dicens: "quae (XIII sat.) quum a Fontejo consule sexaginta annos numeret, a. p. Chr. 119 a Juvenale fere septuagenario scripta est." Satis incerta tamen esse videtur omnis inter hos duos annos distinctio. Sublata vero jam habenda est dubitatio, quando scripta sit quinta decima satira. Quam ad annum 119 pertinere omnium erat consensio e v. 27 profecta, ubi quum *Junio* legerent, mentionem Q. Junii Rustici cons. hujus anni sibi agnoscere videbantur; sed Jahnius et Hermannus auctoritatem codicum, qui maxime fide digni habentur, sequentes *Junco* reposuerunt, quo nomine Juncus quidam cons. suff. a. 127 significari existimandus est [1]). Nec sine plurima veritatis specie; nam omissa satira sexta decima, de qua vetus scholiasta monet: "Ista a plerisque exploditur, et dicitur non esse Juvenalis", illa proxime antecedens, ceteris omnibus mirum quantum inferior, tota sua indole ad extremam poetae aetatem referri atque inter omnes ultima haberi debet. Ac nihil sane est, quod prohibeat, quominus poetam usque ad hunc annum vitam produxisse credamus. Et hanc ipsam

---

[1]) *Junco* habent praeter alios cod. Pith. et antiquissimum palimpsesti Vaticani fragmentum ab Angelo Maio inventum (Class. auct. e Vatic. cod. edit. T. III p. XVIII). Diu Hermannus quidem hoc nomen recipere dubitavit; vid. prooem. lect. Gotting. 1843 p. 5 et 1847 p. 5, quo posteriore loco ita disputat: "Huic enim anno (127) Juncum consulem suffectum vindicat tabula honestae missionis edita in Memorie della R. Accademia di Torino T. XXXIX p. 1—14, et illustrata a Cardinali in Atti dell' Accad. Romana d'Archeol. T. VI p. 231 sq.; sed neque a suffecto anni notam petere Juvenalem consentaneum erat, neque hunc ipsum credibile est ad illum usque annum vitam duxisse." Sed in praef. ed. Juv. p. III hoc nomen nihil dubitans amplecti videtur. Quibus rationibus in aliam sententiam adductus sit, in prooem. lect. Gotting. 1854 fortasse indicavit, ubi quoque de cod. Juv. disputavit, cujusque disputationis legendae occasionem non nactus sum. Equidem igitur etiamnunc miror, quomodo Juvenalis Juncum cons. suff. ut ἐπώνυμον memorare potuerit, nisi credimus eum tempus tam accurate definire voluisse, ut eam anni partem, quum Juncus cons. suff. esset, designaverit. Plenum nomen hujus fuit S. Julius Juncus et Man. Vibius Severus collega ejus; vid. Herm. l. c. 1843 p. 5 ann.

Digitized by Google

ob causam in eam sententiam discedere malim, qua satiram tertiam decimam anno 127 conscriptam esse credere licet, quum, si anno 119 vindicatur, tam longum temporis spatium inter ejusdem libri eclogas intercessisse mihi parum probabile videatur. Sed fortasse dixerit quispiam fieri non potuisse, ut Juvenalis ex carminibus satis egregiis, qualia sunt sat. XIII et XIV, in hoc, quod mihi ceteris parum dignum videri dixerim, tam cito delapsus sit. Recte forsitan: ac tamen usu rerum quotidiano edocti sciunt omnes, quantopere vel unus annus ad ingenium senis immutandum debilitandumque valeat. Facile quoque concedo orationis colorem ingenii Juvenaliani proprium ibi singulis locis agnosci posse. Praeterea fieri quidem potuit, ut ordo, quo conscripta erant singula carmina, in ultimo libro, post mortem poetae forsitan edito, non servaretur, ita ut tertiam decimam satiram post sequentem scriptam esse putare liceat, cui opinioni utriusque carminis indolem minime adversari arbitror. Sed, quoquo modo hae res se habuerunt, quintam decimam satiram, in qua, quae "nuper" consule Junco gesta sint, se relaturum promittat poeta, non multo post a. 127 scriptam esse credo, vel circa a. 129, quo ipso anno Juvenalis decessisse forsitan putandus sit. Natus erat igitur circa a. 47 p. Chr. Quae computatio omnino congruit cum notissima Borghesii in libro "Intorno all' età di Giovenale (Romae 1847)" inscripto, ubi vir doctus Italicus Juvenalem intra annos 47 ett 129 vixisse conjecit (vid. Hermann. praef. ed. Juv. p. III et Siebold l. c. p. XVI).

Sunt postremo nonnulla, quae de quinta decima satira observatione haud indigna censuerim nec ad rationem temporum vitae Juvenalis, quam supra proposui, confirmandam non idonea. Quidquid de consilio hujus satirae statuendum est, quod docte explicare conati sunt Franckius in Exam. crit. vit. Juv. p. 100 sq., C. F. Hermanus in Zeitschr. f. Alterthumswiss. 1844 p. 74 sq., Doellenius, cujus est de hac satira copiosissima disputatio in Beiträge zur Krit. u. Erkl. d. Sat. d. Juv. p. 217 sq. et Voelkerus

Digitized by Google

in libelli supra (p. 56) citati p. 108 sq., non possumus negare poetam tanto errore in locorum descriptione falsum esse, quantus quolibet explanandi periculo tolli nequeat. Nam qui tabulam geographicam Aegypti vel obiter inspexerit, haud invitus fatebitur, Ombos et Tentyra loca esse inter se tam longinqua, ut talis rixa inter utriusque oppidi incolas exardescere nullo modo potuerit. Qua difficultate permoti haud pauci *Ombos* v. 35 in *Coptos* mutari jusserunt (vid. Doellen. l. c. p. 281 sq.), quum nonnulli codices habeant *Combos* et *Compos*. Sed hanc lectionem ex *Ombos*, ultima littera praecedentis vocabuli *adhuc* eo traducta, perfacile oriri potuisse apparet. Nihil igitur mutandum est, quamquam quidem alter locus v. 75, ubi mentio fit Omborum, tali mutationi non refragatur, quum lectio: *praestant*, *instantibus Ombis* ex conjectura Mercerii ap. Salmas. Exerc. Plin. p. 441 recepta sit et codices hoc loco scripturam valde vexatam praebeant. Sed si *Ombos*, ut fieri debet, v. 35 retinetur, manifestum est Ombitas et Tentyritas neque "finitimos" et "vicinos" recte appellari, neque esse inter se tam infestos potuisse. Plura enim loca et oppida inter utramque civitatem sita erant, quorum singula quaeque numina vicinorum haud dubie aspernabantur [1]). Quod quum ita sit, hanc difficultatem nullo alio modo non tollere quidem, sed explicare saltem licebit, nisi si statuimus poetam, qui se ipse Aegyptum visisse v. 45 affirmat, ibi ante plures annos versatum memoriam regionum non satis certam conservasse. Cognitum aliquid fortasse habuit de diversitate quadam religionis inter hos populos (vid. Ribbeck. D. echte u. d. unechte Juv. p. 16); bellum autem, quod propter similem causam inter Oxyrynchitas et Cynopolitas exarsisse narrat Plut. de Isid. et

[1]) Vid. G. Partheyi annot. ad "Plut. über Isis und Osiris (Berolini 1850)", qui haec ait p. 269: "Ombi und Tentyra liegen um mehr als 2 Breitgrade über 30 geographische Meile auseinander. Juvenal konnte die Einwohner unmöglich "finitimos" v. 32 und "vicinos" v. 36 nennen." Ideo *Ombos* in *Coptos* mutari jubet.

Digitized by Google

Osir. 72, in res a Juvenale descriptas convenire non videtur, in quo praeterea tale facinus commissum esse memoriae non proditum est. Verum enim vero ad notitiam poetae haud dubie pervenerat hujuscemodi dirae feritatis exemplum alicubi apud Aegyptios editum[1]), unde graviter commotus in asperitatem aetatis, quamvis excultae et litteris artibusque perpolitae, declamandi occasionem petiit. Nullus autem error locorum est in v. 44—46:

Horrida sane
Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo;

ait enim Juvenalis Aegyptum horridam quidem esse, sed valde quoque luxuriosam, adeo ut ne barbari quidem populi ejus ipsi Canopo, "Graecanicis deliciis affluenti", luxuria cedant (aliter Ribbeck. l. c. p. 15). Recte igitur mihi colligere videor Juvenalem longiore tempore ante in Aegypto versatum esse, quam quintam decimam satiram conscriberet. Scholiasta, ad v. 27 haec dicens: "de se dicit Juvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit", credidit eum pugnae illi ipsum interfuisse. Fieri quoque potuit, ut in Aegypto per exiguum temporis spatium moratus in Caledoniam sive cum ipsa illa cohorte, cui in Aegypto praefuerat, sive ad alius, id est primae Delmatarum, praefecturam mitteretur Quando vero Romam redierit, valde incerta suspicio est; forsitan tamen non ante mortem Trajani. Satis quidem constat eum sub Hadriano, ut ante dixi, in Italia vixisse, ubi fortasse decennio, quod annis 119—129 comprehenditur, vitam transegit atque duos postremos satirarum libros composuit prioremque ipse edidit.

---

[1]) Aptissime Partheyus l. c. p. 271: "Die religiöse Fanatismus mochte in jener Zeit des sinkenden Heidenthums bei den Aegyptern den höchsten Grad erreicht haben und konnte gleichzeitig zwischen zwei Städte der Heptanomis, Oxyrynchos und Kynopolis, und zweien der Thebais, Tentyra und Koptos, zu Reibungen führen. Aber der ernsthafte Krieg der beiden ersteren Städte bot der Satire weniger Stoff, als die rohe Schlägerei der beiden letzeren." Cf. Ribbeck. l. c. p. 14.

Digitized by Google

Si nunc imaginem quandam vitae Juvenalis nonnihil definitam absolutamque ex scholiastarum narrationibus, additis necessariis aliquot supplementis, restituere volumus, haecce fere evadet:

D. Junius Juvenalis, libertini locupletis incertum filius an alumnus, *Aquini natus est circa annum U. C. DCCXCIX*. Quum ex Aquino municipio Romam se contulisset et ad dignitatem equestris ordinis pervenire sua virtute meruisset, ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa quam quod scholae se aut foro praepararet, et dein paucorum versuum satyra non absurde composita in Paridem Domitiani pantomimum poetamque semenstribus militiolis emitantem hoc genus scripturae industrie excoluit, et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus, mox *imperante Trajano* magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis:

> Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
> Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
> Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Erat tunc in deliciis aulae histrio, multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figura notasset, ac statim per honorem militiae urbe summotus est missusque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. *Militavit in Britannia praefectus cohortis I Delmatarum* . . . . . Tandem Romam quum veniret . . . . . Ita angore ac taedio periit anno aetatis suae altero et octuagesimo.

Digitized by Google

Addenda et Corrigenda.

Pag.	7	lin.	3	lege:	traditurus non fuisset.
»	10	»	2	»	quales.
»	17	»	12	»	finem.
»	29	»	6	»	II.
»	31	»	23	»	nulla.
»	39	»	34	»	ad Trajani nomen.
»	42	»	4	»	*Δομετιανὸς*.
»	59	»	13	»	sententiam.

Pag. 29 ann. 1. Accurationis gratia h. l. addere debui Franckium sententiam suam nonnihil mutasse, in Quaest. alt. p. 14 haec dicentem: "Ubi (ad Schol. ad I 1) quod aliquando conjeceram, reperisse alicubi hominem pro Aquinate falso scriptum Aquitano, hinc Gallus fortasse, non corporis magnitudo perspicua fieret. Quare jam pridem, nondum lecta optima Twesteni mei annotatione apud Cramerum p. 654 malui ab inimicis, quos Satirarum poetae non paucos fuisse consentaneum est, cavillandae staturae causa Gallum cognominatum putare, hoc uno a Twesteno discedens, quod incertum mihi videtur, utrum in carmine deperdito id factum sit, an e sermonibus arreptum a curioso quodam grammatico. Profecto tam nota erat Gallorum proceritas, ut statura Gallica facile posset in proverbium abire, quum praesertim teste Suetonio in Calig. c. 47 Gallorum procerissimus quisque ad pompam triumphi legeretur. Jam vero tardi et obtusi ingenii monachus Gallum non corporis magnitudine, sed ortu dictum credidit, de hoc videlicet ex illa ducto argumento."

Annotatio Twesteni ap. Cram. l. c. haecce est: "Quod narrat Schol. Juvenalem aliquos Gallum dixisse propter corporis magnitudinem, potuerunt in eo fortasse deperditum aliquod carmen respicere, quo Gallicam poetae staturam aliquis cavillatus erat, ab ipso laesus, nam illa Franckii nostri doctissimi conjectura minus placet."

Nomen *Pinzgeri* nonnullis locis vitio scriptum est *Pintzgerus*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED

LOAN DEPT.

This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

27 Feb'61 DH

REC'D LD
APR 26 1961

22 Nov'63 MM

REC'D LD
NOV 11 '63 -5 PM

LD 21A-50m-4,'60
(A9562s10)476B

General Library
University of California
Berkeley

Digitized by Google